This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

878
So
H69
A 468925
UNIVER
FEB 14
OF MICHI

Quaestiones Sullanae et Sallustianae. ✻ ✻

M. van der Hoe

1837
ARTES
SCIENTIA
VERITAS
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
E PLURIBUS UNUM
SI QUAERIS PENINSULAM AMOENAM
CIRCUMSPICE

SC
HE

QUAESTIONES SULLANAE ET SALLUSTIANAE.

Quaestiones Sullanae et Sallustianae.

SPECIMEN LITTERARIUM INAUGURALE

QUOD

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

DANIELIS JOSEPHUS JITTA,

Jur. utr. doct. et in Facultate jur. Prof. ord.

NOBILISSIMAE FACULTATIS PHILOSOPHIAE THEORETICAE

ET

LITTERARUM HUMANIORUM DECRETO

PRO GRADU DOCTORATUS

SUMMISQUE IN LITTERARUM CLASSICARUM DISCIPLINA

HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

IN UNIVERSITATE AMSTELODAMENSI

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS PUBLICO EXAMINI

SUBMITTET

MEIJER VAN DER HOEK,

LEOVARDENSIS,

DIE X MENSIS IULII ANNI. MDCCCCI, HORA III,

IN AULA ACADEMICA.

LEOVARDIAE

EX OFFICINA SOCIORUM TYPOTHETARUM.

MDCCCCI.

PARENTIBUS OPTIMIS CARISSIMIS.

216225

Conscripto libello libentissime amplector occasionem agendi gratias quam maximas Vobis omnibus, Viri clarissimi, PROFESSORES LITTERARIAE FACULTATIS, *quorum lectionibus frui mihi contigit.*

Te praecipue, aestumatissime Promotor, clarissime VALETON, *laudo propter beneficia, quae plurima in me contulisti. Tu enim pro summa Tua benevolentia viam mihi demonstrare non satis duxisti, demonstratam patefecisti etiam. Numquam obliviscar quantum vasta Tua doctrina, quantum comi Tua humanitate profecerim. Nihil igitur carius est mihi quam ut Tibi publicas et debitas gratias agam.*

Sum grato animo erga te quoque, vir doctissime HALBERSTADT, *praeceptor Leovardensis, qui puerum me litteris erudivisti, adultum amicitia ornasti et in corrigendis typothetae erroribus adiutor haud spernendus mihi praesto fuisti.*

Cap. I. De Lucii Cornelii Sullae origine, vita domestica, indole, moribus . . . . . pag. 1

Cap. II. De rebus bello Iugurthino gestis ante adventum Marii consulis deque earum fontibus primariis . pag. 27

Cap. III. De rebus a Mario et Sulla in Africa gestis et de fontibus quibus cognoscantur . . . pag. 53

Cap. IV. De rebus bello Cimbrico gestis et de earum fontibus . . . . . pag. 81

CAP. I.

DE L. CORNELII SULLAE ORIGINE, VITA DOMESTICA, INDOLE, MORIBUS.

L. C. Sulla anno 138° natus est, ut efficitur ex eo, quod anno 89° undequinquagesimo aetatis anno consulatum assecutus est et a. 79°, sexagesimum annum agens, decessit [1]). Ei patriciae gentis, cui Cornelia nomen erat, nobili loco orto imagines erant

P. C. Rufini, dict. a. 333°, [2]),

P. C. Rufini, cos. a. 290°, 277°, dict. 276°,
a quo sextus erat [3]);

dein duorum praetorum, quorum alteri P. Cornelio, praetor urbano et peregrino (a. 212°), primum e familia cognomen Sullae erat, ut apparet e Gellii verbis [4]): „L. Sulla rerum „gestarum libro secundo ita scripsit: P. Cornelius, cui „primum cognomen Sullae impositum est, flamen dialis „captus"; — alter huius filius

P. Cornel. Sulla a. 186° praetor Siciliae fuit [5]).

Ex eo, quod Gellius Sullae Commentarios laudavit, eum maiorum suorum vitas quoque conscripsisse effici non licet: de suis sacerdotiis agens rem rettulisse videtur. Post horum

---

[1]) Vell. II, 17, 3; Plut. Sulla 6 parva discrepantia πεντήκοντα ἔτη γεγονώς; Val. Max. IX, 3, 8; App. B. C. I, 105. — [2]) Cfr. Drumann Gesch. Roms II, p. 426 ann. 86. — [3]) Vell. II, 17, 2; Plut. Sulla 1. — [4]) Peter Histor. Roman. Fragm. p. 127, 2; cfr. Liv. XXV, 12, 1. — [5]) Liv. XXXIX, 8, 1.

tempora Sullae cognomen diu a fastis abest; nam, ut pluribus eorum temporum gentibus patriciis accidit et exempli gratia Scauris quoque evenerat, stirps gentis Corneliae, cui cognomen Sullae erat, a pristino rerum familiarium nitore recesserat. Quam ob causam L. Sulla primo de consulatu postea petendo ne cogitasse quidem videtur, ratus se, quasi homo novus esset, eum honorem non assecuturum neque longius quam ad praeturam se processurum esse. Quippe de claro illo M. Aemilio Scauro (cos. a. 115⁰) memoriae proditum est „ei aeque ac „novo homini laborandum fuisse" [1]). Non modo Velleius auctor est, Sullae aequales e ratione, qua vitam degeret, effecisse, eum consulatum non petiturum („hic ... cum familiae eius clari- „tudo intermissa esset, diu ita se gessit ut nullum petendi „consulatum cogitationem habere videretur" [2]); sed ex ea re quoque hoc intellegi licet, quod aedilitatem, qua eis temporibus necessarie perfungendum erat, si quis suae consulatus petitionis rationem habitum iri vellet, et qua, vulgo sedulo adhibita, gratia populi quaerebatur et suffragia civium comparabantur, omisit.

De Sullae patre nihil constat, mature decessisse videtur; nam Sulla a noverca, quae eum tamquam filium diligebat [3]), bene educatus est. Pueritiam in egestate degit, „ἐν οὐκ ἀφθόνοις ἐτράφη πατρῴοις", ut apud Plutarchum scriptum est [4]). Quae pauperies postea saepius ab eis ut videtur qui, quo tempore praeturam petebat, eum irridentes, quemquam in tanta mendacitate natum divitias, quales is tunc possideret, honesto modo sibi comparare posse negaverunt, opprobrio ei data est [5]). Nihilominus liberalissime educatus et optimarum artium studiis ita eruditus est, ut, cum adolescens esset, tam in Graecis quam in Latinis litteris magnos progressus fecisset; „erat", ut apud Sallustium scriptum est [6]), „litteris Graecis „atque Latinis juxta atque doctissime eruditus". Morte novercae, quae eum unicum heredem testamento scripsit, primum modicis facultatibus instructus ab aliis quoque mulieribus

---

[1]) Ascon. p. 22; cfr. Plut. de Fort. Rom. 4, (Didot, p. 391). — [2]) Vell. II, 17, 2. — [3]) Plut. Sulla 2. — [4]) Ibid. 1. — [5]) Ibid. 1. — [6]) Sall. B. Iug. 95, 3.

eadem gratia ornatus est: Nicopolis quaedam, libertina opulenta moribus parum honestis item amore erga eum incensa, totam rem familiarem ei legavit [1]). Sulla, cum iam adolescens esset, solus habitabat, et quidem pro loco quo natus erat satis mediocriter; tribus enim milibus HS. partem inferiorem aedium conductam habebat, quarum inter alios etiam libertinus quidam superiorem partem mille tantum HS. minore pretio conduxerat [2]). Adhuc iuvenis „ἔτι μειράκιον ὤν," ut ait Plutarchus [3]), matrimonium iniit. Prima uxor nomine Ilia, sive, ut Drumann v. cl. recte, ut videtur, coniecit [4]), Iulia, Corneliam filiam ei peperit, nuptam postea Q. Pompeio Rufo, qui P. Sulpicio Rufo tribuno plebis anno 88⁰ seditionem concitante interfectus est [5]). Quae Cornelia, cum filium habuerit Quintum iam anno 52⁰ tribunatu plebis functum et tunc igitur triginta tres fere annos natum [6]), iam anno 85⁰ adulta et nupta erat; itaque ea, antequam Sulla in Africam proficisceretur, nata fuerit necesse est, et eum ipsum ante quaesturam (a. 107⁰) matrimonium contraxisse apparet. Alteram uxorem Aeliam duxit, de qua nihil constat. Tertiam Coeliam sibi matrimonio iunxit, cui repudium remisit quod, ut ipse prae se tulit, liberis careret, sed re vera, quia amore in aliam mulierem incensus erat.

Sulla ipse se iniuriae, qua Coeliam divortio facto affecisset conscium fuisse, hac re ostendit, quod grandibus donis et opulentis muneribus offerendis eam iniuriam compensare frustra conatus est [7]). Statim alteram illam duxit; erat tunc consul designatus annumque undequinquagesimum agebat (a. 89⁰). Ea quarta uxor erat Caecilia Metella, vulgo 'Metella' dicta. Erat filia, non, ut ait Plutarchus [8]), Q. Caecilii Metelli Pii, Sullae iterum consulis (a. 80⁰) collegae, sed L. Caecilii Metelli Dalmatici (cos. a. 119⁰), qui Castoris et Pollucis templum refecit. Ea quoque iam antea viro nupserat M. Aemilio Scauro (cos. a. 115⁰) et ei filium genuerat. Huic filio cum

---

[1]) Plut. Sulla 2, fin. — [2]) Ibid. 1. — [3]) Ibid. 6. — [4]) Drumann II, p. 508. — [5]) Plut. Sulla 8; Liv. ep. 77. — [6]) Ascon. p. 34; Cic. Att. IV, 16, VIII, 11; Mommsen Staatsr. I, p. 544 et 552. — [7]) Plut. Sulla 6. — [8]) l. c.

Cicero anno 54⁰ in celeberrimo iudicio causam dixerit, e fragmentis orationis ab eo tunc habitae etiam verum avi nomen cognoscitur [1]). Hoc novum Sullae matrimonium homines turpe putabant; Plutarchus auctor est, plebeculam versus in eum fecisse multosque viros nobiles aegre illud tulisse [2]). Etiam Sallustius huius matrimonii pravitatem tantam duxit ut, quamvis pauca de Sullae moribus memoriae prodiderit, eius rei tamen mentionem fecerit: „numquam", ait [3]), „voluptas „eum remorata est ab negotiis, nisi quod de uxore potuit „honestius consuli." Causam rei nonnulli in ea re quaesiverunt, quod Metella propter mores male audiret, sed ista causa vera esse non potest neque tale quid Romae eis temporibus Sullae magno dedecori habitum fuisse credendum est; potius iniuriam qua Coeliam affecit argueris.

Hac in re Sullam talem in vita privata deprehendimus, qualem semper eum in vita publica se praebuisse constat, libidinum servum, quanto dolore eis satisfaciendo alios afficeret non curantem. Animi ardor igitur eum ut Coeliam repudiaret incendit et voluptas, cui, ut ait Sallustius, indulsit; non lucro aut commodorum suorum cura perductus id fecit. Quod ad famam Metellae pertinet, de ea Seneca severe iudicavit. Hic „Lucio Sullae", ait, „felicius si non habuisset uxorem, Metella „coniunx palam erat impudica et quia novissimi mala nostra discimus, id Athenis cantabatur et Sulla ignorabat, secreta „domus suae primum hostium convicio didicit" [4]). Sed illa verba ipsa argumento sunt primum ea ad tempora multo posteriora pertinere, non ad ea, quae Sullae matrimonio praecesserint, dein e quo fonte manaverint ipsa ostendunt. Multo enim post, Sulla in Graecia bellum gerente Athenasque oppugnante, hic, Athenis, Metellam virum absentem fefellisse fama dissipata est; nimirum mendacia illa erant ab Atheniensibus ficta; quasi certi quidquam de ea re ex urbe Roma ad oppugnatas Athenas allatum sciri potuisset, praesertim cum Sulla ipse nil tale audivisset, audito ne ullam quidem fidem habuerit eamque

---

[1]) Cic. pro Scauro, p. 217; Drumann II, p. 37; Lange Röm. Alt. III, p. 123. — [2]) Plut. Sulla, 6. — [3]) Sall. Bell. Iug. 95, 3. — [4]) Senecae fr. 63.

eis ipsis temporibus cum Roma effugerat in castra sua receperit. Erat autem Aristio tyrannus, qui ira et furore inflammatus Sullam, maledicis de uxore conviciis aliisque insinuationibus inter oppugnationem de moenibus eructatis, irritando delectatus est, ut videtur, cum sciret Sullam Metellae amantissimum fuisse [1]). Senecae verbis laudatis nihil aliud inest nisi Aristionis maledica convicia repetita, quae vero omni auctoritate carent. Sullam Metellae usque ad mortem deditum fuisse apparet; in eam omnem amorem et omnes curas congerere numquam desiit. „*Μετέλλαν ἐν πάσι θεραπείων διετέλεσεν*," ait Plutarchus [2]). Ob eam imprimis iram suam in Aristionem et Athenienses effudit, ab his non ab illa poenas sumsit [3]).

Huic magnam partem bonorum proscriptorum dono dedit [4]), in huius sepulturam tantum sumptum impendit (a. 81⁰), ut modum talibus rebus lege ab ipso data praescriptum longe excesserit [5]). Plus etiam valent ad demonstrandum amorem Metellae ea, quae de somnio quodam, quod morbo correptus in Puteolano, die antequam e vita excessit, vidit et Commentariis mandavit; ex illo somnio pia memoria cum uxoris iam duobus annis ante mortuae, tum filioli Cornelii annum ante matrem defuncti, manifesta fit. Qui filiolus iam fato perfunctus nutu patrem ad se vocare visus est hortatusque esse ut secum ad matrem iret, ut denuo coniuncti in nescio qua solitudine tranquille vitam degerent [6]). Quod somnium ipse Sulla mortis mox sibi obrepturae documentum duxisse videtur. Idem insomnium brevius sed parum recte ab Appiano traditum est [7]); Sullam nempe deum se vocantem vidisse. Plinius quoque de eo mentionem fecit [8]). Quo modo factum sit, ut somnium illud in Commentariis consignari potuerit infra videbimus. Praeter parvum Cornelium, qui anno 82⁰ obiit, Metella geminos genuit, quorum alteri Faustus nomen erat, altera Fausta vocata

---

[1]) Plut. Sull. 13. — [2]) Ibid. 6. — [3]) Ibid. 13; Plut. de Garrul. 7, (Didot, p. 611). — [4]) Plin. N. H. XXXVI, 116: „Metella proscriptionum sectrix". — [5]) Plut. Sulla 35. — [6]) Ibid. 37 „*τὸν υἱὸν αὐτοῦ τεθνηκότα μικρὸν ἔμπροσθεν τῆς Μετέλλης φανῆναι κατὰ τοὺς ὕπνους ἐν ἐσθῆτι φαύλῃ παρεστῶτα καὶ δεόμενον τοῦ πατρὸς παύσασθαι τῶν φροντίδων, ἰόντα οὖν αὐτῷ παρὰ τὴν μητέρα Μετέλλαν ἐν ἡσυχίᾳ καὶ ἀπραγμόνως ζῆν μετ' αὐτῆς.* — [7]) App. B. C. I, 105. — [8]) Plin. N. H. VI, 13, 22.

est. Aestate anni 86[i] Metella cum liberis in Sullae castris ad Athenas positis versabatur [1]), quo illa Mario VII Cinna II coss. (a. 86[0]) perfugerat. Metella anno 81[0] eo ipso tempore, cum Sulla triumphi agendi causa dies festos celebraret populoque epulas daret, mortua est. Ob eam rem sacerdotes Sullam aegram uxorem visum ire corpusve mortuae apud se retinere vetuerunt, ne domum inquinaret, unde Sulla nuntium ei remittere eamque in aliam sedem traducendam curare coactus est [2]). Quintum quoque matrimonium Sulla iniit annum agens undesexagesimum cum Valeria (a. 79[0]), ut ex Plutarchi verbis patet, amore motus, quem haec mulier primo cum in theatro in Sullam incideret, muliebribus artibus in valido adhuc viro incitaverat [3]); quae Puteolis Postumam filiam genuit. De hac uxore haec Plutarchus: „*Μεσσάλα ἦν θυγάτηρ, Ὁρτησίου δὲ τοῦ ῥήτορος ἀδελφή.*" Quae verba vitio laborent necesse est; nam cum filiabus nomina gentilicia patrum dicerentur, soror Hortensii, cui pater (L.) Hortensius erat [4]), 'Hortensia' vocari debebat. Cum autem Messala quidam sororem Hortensii oratoris (qui anno 114[0] natus est) uxorem duxerit [5]), medela fortasse afferri potest, cum sic legatur: „*Μεσσάλα ἦν θυγάτηρ, Ὁρτησίου δὲ τοῦ ῥήτορος <ἔχοντος> ἀδελφή<ν>*, post vocem *PHTOPOΣ* eo quod est *EXONTOΣ* errore quodam omisso, vocabulum *ἀδελφήν* in *ἀδελφή* facile abiit [6]).

Sulla iam ab ineunte aetate histriones praeter ceteros homines amabat, ad quos animus ad iocandum promptus eum, rebus scurrilibus risibusque solutis delectatum, allexit, cui nullo modo melius quam talium hominum consuetudine satisfieri poterat [7]). His aeque deditus fuit antequam praetura

---

[1]) Plut. Sulla 6, 13, 22. — [2]) Ibid. 35. — [3]) l. c. — [4]) Cic. II Verr. 3, 16, 42. — [5]) Val. Max. V, 9, 2. — [6]) Haberet sane quo se commendaret coniectura v. cl. Van Oppen, qui in libro „Observationes in „Plutarchi Vitam L. C. Sullae" inscripto (Dissert., Silv. Duc. 1879, p. 104) proposuit, ut *ἀδελφιδῆ* legeretur, si post vocem *Μεσσάλα* vocabulum *μέν* scriptum esset. — [7]) Plut. Sulla 5, „*ὃν οὕτω φιλοσκώμμονα φύσει γεγονέναι λέγουσιν ὥστε . . .*"; Nicol. Damascen. apud Athen. VI, p. 261 c. „*οὕτω χαίρειν μίμοις καὶ γελωτοποιοῖς φιλογέλων γενόμενον ὡς . . . .*" et XIV, p. 615a, *ὅτι καὶ Σύλλας . . . φιλογέλως ἦν.*"

functus est [1]) atque cum summa potestate urbi ab ipso subactae imperaret [2]); extremo aetatis tempore cum privatus Puteolos se recepisset vel maxime his deliciis indulsit [3]). Inter hos firmam et perpetuam amicitiam cum Metrobio histrione populari coluit, qui cum in priorum Sullae amicorum numero esset etiam inter postremos, quibus Sulla Puteolis usque ad mortem utebatur, erat [4]). Ad illos amicos, quorum consuetudine Sulla extrema aetate fruebatur, praeter Metrobium Sorix et Roscius referuntur. Amor erga eos Sullam adhuc iuvenem eo perduxit, ut parvas fabulas componeret. Nicolaus Damascenus, qui hoc memoriae prodidit, versiculos illos Sullae „*σατυρικὰς κωμῳδίας*" nuncupavit [5]), scriptos sine dubio ut a Metrobio canerentur et agerentur. Plutarchus Metrobii artem his verbis significat: erat histrio (*τῶν ἀπὸ σκηνῆς τις*) et quidem *λυσιῳδός*. Ex qua voce Metrobium Graece cecinisse cave intellegas: fabulae quas Sulla pro eo composuit Nicolao Damasceno auctore Latine scriptae erant. Vox, qua Plutarchus usus est, imaginem tantum rei significat: Metrobius Latine idem fere fecit, quod *λυσιῳδὸς* in Graecia facere solebat; ex qua re etiam de fabularum genere, quas Sulla conscripsit, aliquid effici potest. *Λυσιῳδοί* eiusdem generis cantatores erant, qui etiam *μαγῳδοί* dicebantur, apud Graecos eis, qui *ἱλαρῳδοί* et *σιμῳδοί* appellabantur, affines quidem, verum etiam aliqua ex parte oppositi [6]). Hi graviores et severiores rerum serio-

---

[1]) Val. Max. VI, 9, 6 „L. vero Sulla usque ad quaesturae suae „comitia vitam libidine, vino, ludicrae artis amore inquinatam perduxit..."; Plut. Sulla 2 „*νέον μὲν ὄντα καὶ ἄδοξον ἔτι μετὰ μίμων καὶ γελωτοποιῶν „διαιτᾶσθαι καὶ συνακολασταίνειν*. — [2]) Plut. Ibid. „*ἐπεὶ δὲ κύριος „ἁπάντων κατέστη συναγαγόντα τῶν ἀπὸ σκηνῆς καὶ θεάτρου τοὺς „ἰταμωτάτους ὁσημέραι πίνειν καὶ διαπληκτίζεσθαι τοῖς σκώμμασιν*." [3]) Plut. ibid. 2 et 36 „*συνῆν μίμοις γυναιξὶ καὶ κιθαριστρίαις καὶ θυμελικοῖς ἀνθρώποις, ἐπὶ στιβάδων ἀφ' ἡμέρας συμπίνων*". — [4]) Plut. ibid. 2 et 36. — [5]) Nicol. Damasc. fr. 31 Müller; (Athen. VI, p. 261 c) „*ἐμφανίζουσι δ' αὐτοῦ τὸ περὶ τοὺς μίμους καὶ γελωτοποιοὺς ἱλαρὸν καὶ „ὑπ' αὐτοῦ γραφεῖσαι σατυρικαὶ κωμῳδίαι τῇ πατρίῳ φωνῇ*." — [6]) *Ἱλαρῳδοί* auctoribus Strabone (XIV, p. 648) et Athenaeo (XIV, p. 620 d) etiam *σιμῳδοί* vocabantur a Simo Magnete; erant ei, qui huius similisve poetae cuiusdam carmina agebant; item ei *λυσιῳδοί* erant *μαγῳδοί*, qui

rum cantatatores erant, severius vestiti; discrimen, quod inter eos et λυσιῳδούς erat, cum discrepantia, quae inter tragoediam et comoediam exstabat, comparatur[1]). Sic ἱλαρῳδοὶ vel σιμῳδοὶ mare aut femina lyram simul pulsante canebant, candida veste induta auream gestantes coronam, olim quidem calceis postea vero soccis usi, dein eos gestus obscenos non egisse observatum est („οὐ σχινίζεται") [2]). Μαγῳδοὶ contra tympanis, cymbalis omnisque generis ornamentis muliebribus usi esse traduntur, nec tamen tympana et cymbala necessaria fuisse credendum est. Hi administro aliquo tibia succinente canebant et saltabant, calceis et soccis τῶν σιμῳδῶν non usi [3]); itaque eos planipedes fuisse verisimile est. Aristoxenus, etiam altero discrimine inter μαγῳδοὺς et λυσιῳδοὺς facto, illos tam virorum quam mulierum partes, hos mulierum tantum sub persona virili cecinisse auctor est, ceterum utrosque eadem carmina et reliqua omnia similia habuisse. Aristocles vero ne hoc quidem discrimen fecit [4]), certe mulieres lysiodae etiam fuerunt [5]). Eorum τὸ σχινίζεσθαι proprium erat. De μαγῳδῶν actionibus Athenaeus hoc quoque tradidit (quod etiam de λυσιῳδῷ valet): „σχινίζεταί τε καὶ „πάντα ποιεῖ τὰ ἔξω κόσμου, ὑποκρινόμενός ποτε μὲν „γυναῖκας καὶ μοιχοὺς καὶ μαστροπούς, ποτὲ δὲ ἄνδρα „μεθύοντα καὶ ἐπὶ κῶμον παραγιγνόμενον πρὸς τὴν „ἐρωμένην." [6]). Quod Latinorum cantatorum genus cum Graeco λυσιῳδῷ maxime congruerit aut cuius Latinorum carminum generis fabulae, quas οἱ λυσιῳδοὶ, agebant, simillimae fuerint, dubium non est; fabulae Sullae quoque ad hoc genus refe-

---

carmina aliunde ignoti μελοποιοῦ Λύσου cuiusdam, qui post Simum fuit, agebant, (Strabo l. c.). De vocis 'μαγῳδὸς' interpretatione Athenaeus (XIV, p. 621d) mira narrat; vox ad eos significandos, qui ad μάγαδιν, αὐλοῦ sive tibiae genus, de quo Athenaeus (IV, p. 182 d) satis exposuit, ad similitudinem facta esse videtur. — [1]) Athen. XIV, p. 621c et 621d (Aristoxenus ait) „τὴν μὲν ἱλαρῳδίαν σεμνὴν οὖσαν παρὰ τὴν τραγῳδίαν εἶναι, τὴν δὲ μαγῳδίαν παρὰ τὴν κωμῳδίαν". — [2]) Athen. XIV, p. 621 b. — [3]) Athen. VI, p. 252 c. — [4]) Athen. XIV, p. 620 c „τὸν μὲν ἀνδρεῖα καὶ γυναικεῖα πρόσωπα ὑποκρινόμενον μαγῳδὸν „καλεῖσθαι, τὸν δὲ γυναικεῖα ἀνδρείοις λυσιῳδόν. . ." — [5]) Athen. V, p. 211 c, — [6]) Athen. XIV, p. 621 c.

rendae esse videntur. Oscorum Atellanorum hic utique nullus sermo esse potest; iam ab initio Atellanae a veris histrionibus non agebantur; et cum a Sullae aetate in scaena ederentur, certarum personarum magna caterva inducebatur [1]). Fescennini versus a Romana scaena omnino alieni erant [2]). Saturae principio a mimis omnino non discrepasse videntur; cum discrepare coepissent, saturae carmina erant, quae ad litteras, non ad scenam pertinebant, qualia erant Ennii, Lucilii, Varronis, Horatii, aliorum, quae scripta legebantur. Solum genus, de quo hac in re a nobis cogitari potest, est mimorum, qui iam antiquioribus temporibus in scaenam Romanam ducti sunt et quorum partes ab histrionibus agebantur [3]). Omnia fere, quae de λυσιῳδοῖς dicuntur, etiam in hos cadunt: primum, quod ad tibiam canebant et saltabant; — dein, quod gestus obscenos agebant [4]); — tertio, quod excalceati planis (i. e. nudis) pedibus erant, unde mimus etiam 'planipes' dicebatur [5]); — quarto, quod, ut mulieres lysiodae, etiam mimae erant [6]); — quinto, quod unus tantum e grege archimimus nomine primas partes agebat, quem unus tantum secundarum partium actor comitabatur [7]); — sexto, quod carminum argumentum et genus eo tantum spectabant, ut risum moverent [8]), ad quem eliciendum mimi notorum hominum et rerum cavillationibus utebantur [9]). Hac quoque in re tandem inter se congruunt, quod mimus ut λυσιῳδός partes tam inter cenam quam publice in theatro agebat [10]). Habitus tantum mimorum

---

[1]) Liv. VII, 2, 12 „quod genus ludorum iuventus .... nec ab histri-„onibus pollui passa est"; Cfr. Teuffel Gesch. d. Röm. Litt. p. 13, sqq. — [2]) Teuffel l.l. p. 5. — [3]) Festus p. 326; is memorat ad annum 211um „libertinum mimum magno natu, qui ad tibicinem saltaret"; cfr. Teuffel p. 8, 2. — [4]) Festus, p. 326: „solebant his (ludis scaenicis) prodire „mimi in Orchaestram, dum in scaena actus fabulae componerentur cum „gestibus obscaenis." — [5]) Diomed. 3, p. 490 Keil „ideo autem latine „'planipes' dicitur (mimus), quod actoribus pedibus planis, i. e. nudis, „proscenium introirent, non ut tragici actores cum cothurnis neque ut „comici cum soccis". — [6]) Teuffel p. 12, 8: „Sunt Arbuscula (Cic. ad „Att. XIV, 15), Lucceia (Plin. VII, 158), Cytheris, aliae". — [7]) Teuffel l. c. p. 11, 7. — [8]) Horat. Sat. I, 10, 6, sq.; cfr. Teuffel p. 10, 2. — [9]) Cfr. [Cic.] ad Herenn., I, 14, 24, II, 13, 19. — [10]) Athen. V, p. 211 c; Plut. Sull 2 et 36.

proprius Romanorum erat: 'centaculum' et 'ricinium' gestabant.

Itaque ex voce, qua Plutarchus utitur, quae est λυσιῳδός, Metrobium non alium hominem nisi mimum vel archimimum fuisse ut Soricem, et fabulas Sullae ad mimorum genus referri debere efficere licet. Vocabulum quoque, quo Nicolaus Damascenus utitur, quod est „σατυρικαὶ κωμῳδίαι", huic opinioni favet; is de saturis cogitasse videtur. Qua vero in re saturae quae agebantur a mimis discrepuerint, haud facile dixeris.

Nimirum horum hominum consuetudo mores eius impuros reddidit, hac re in primis quod vino magnopere eum indulsisse Sullae vitio tribuitur [1]). Plutarchus „ταύτης δὲ τῆς ἀνέσεως", ait, „ἔοικε γεγονέναι νόσημα καὶ ἡ πρὸς τοὺς ἔρωτας εὐχέρεια „καὶ ῥύσις αὐτοῦ τῆς φιληδονίας" [2]).

In illo circulo Sulla iuvenis Nicopolin libertinam, de qua supra diximus, cuius consuetudine usque ad quaesturam utebatur [3]), cognosse videtur. Constat eum libidinibus, amori, vino semper se dedisse, facies quoque eius iam aetate provectioris idem significasse videtur; truces oculi ei erant, aspera rubedine cum sufflavis maculis efflorescente, unde nescio qui Atheniensis cavillator per iocum hoc dixit: „Mori instar est „Sulla farina conspersi" [4]). Plutarchi autem indignationem, quod Sulla cotidiana consuetudine cum histrionibus utebatur, nimiam fuisse verisimile est. Ei homines pro vilissimis tamquam contagione quadam infectis habebantur, erant infames et aerarii, i. e. iuris suffragii in comitiis ferendi expertes. Cuius rei causa non nequitia sed artificium erat. Etiam Plutarchus illorum hominum humilitatem cum pravitate confudisse videtur; amicitiae Sullae cum Metrobio sine ulla causa, quasi ita id se haberet necesse esset, notam turpitudinis tanquam ἔρωτος inurit [5]). Iam in huius amicitiae diuturnitate satis causae ad eum refutandum inesse videtur. Sulla huius viri etiam

---

[1]) Vide supra p. 7, annotat. 2, 3, 4. — [2]) Plut. Sulla 2. — [3]) Plut. de Fort. Rom. 4, (Didot, p. 391). — [4]) Plut. Sulla 2 „καὶ τῶν Ἀθήνησι „γεφυριστῶν ἐπέσκωψέ τις εἰς τοῦτο ποιήσας 'συνκάμινόν ἐσθ' ὁ Σύλλας „ἀλφίτῳ πεπασμένον'." — [5]) Plut. Sulla 2 „Μητροβίου ἐρῶν διετέλεσεν „ἔτι νέος ὤν," et 36, „οὗ καίπερ ἐξώρου γενομένου διετέλει μεχρὶ „παντὸς ἐρᾶν οὐκ ἀρνούμενος."

cum senectus ei obriperet amans erat; si accusatio, quatenus in hominem longius aetate provectum cadit, falsa est, erit quoque cadens in iuvenem. Roscius, qui etiam Puteolis inter cotidianos convivas fuit, is erat in cuius vita ac moribus nihil reprehenderetur. Cicero decem annis post eum dicit virum, „cui existimatio sanctissima fuit semper"; eius vitam „purissimam et castissimam" fuisse narrat [1]).

Ex eius exemplo igitur apparet amicos, quibus Sulla familiariter uteretur, licet histriones essent, non necessarie homines corruptorum morum fuisse. Calumnia Plutarchi in Metrobium et Sullam etiam hac re dissolvitur, quod is causam morbi phthiriaseos, qua Sulla absumptus esse dicitur, in ea turpitudine quaesivit [2]). Sed is Sullae morbus, qui omnino nullus fuit, illam causam habuisse non potest; phthiriasis enim in cogitatione antiquorum modo extitisse videtur [3]); fortasse pustulae genus erat, quod falsam eius morbi notionem peperit. Id quod nonnulli de Sullae senectute iudicaverunt longe a vero abesse videtur: Sullam Puteolos in solitudinem se recepisse, ut ibi libidinibus frueretur, quemadmodum de imperatore Tiberio Capreas profecto traditum est [4]). Non eo modo, quo Plutarchus dixit, Sulla valetudinem minuit; nam anno 79⁰ magistratu deposito vires minime exhaustae erant [5]), annum aetatis undesexagesimum agens uxorem adhuc duxit filiamque procreavit. Quod ad priorem vitae partem attinet, etiam cum iuvenis et grandior factus esset, non totum se voluptatibus dedit, sed id temporis tantum quod negotiis peractis supererat; neque his voluptatibus ingenii facultates infringebantur, neque res aut consilia, quae peragendae erant, prohibebantur. „Erat", ait Sallustius, „cupidus voluptatum, sed gloriae cupidior, otio „luxurioso, sed voluptas numquam eum ab negotiis remorata „est" [6]). His quidem repugnat quod Plutarchus dicit eum „πρὸς τῷ καταισχύνειν τὸ ἀξίωμα τῆς ἀρχῆς πολλὰ τῶν

---

[1]) Cic. pro Roscio Comoedo 5, 15 et 6, 17. — [2]) Plut. Sulla 36, „ὅθεν καὶ τὴν . . . . . νόσον . . . . ἐξέθρεψεν . . . — [3]) Mommsen Röm. Gesch. II[8], p. 376, adnot. — [4]) Suet. Tiber. 40; Tac. Annal. 4, 67. — [5]) App. B. C. I, 104, „ᾧ δυνατὴ μὲν ἔτι ἡ ἡλικία καὶ τὸ σῶμα „εὔρωστον." — [6]) Sall. Bell. Iug. 95, 3.

„δεομένων ἐπιμελείας προιέμενον" fuisse, sed haec coniectura esse videtur Plutarchi; Sallustius, qui, ut ex reprehensione in Sisennam apparet, Sullae vitia non detrectavit, melius scire potuit [1]). Hoc tantum Plutarchus recte monuit, consuetudinem cum histrionibus neque famae neque moribus Sullae profuisse. Eis petentibus nihil negavit, quosdam bonis hominum proscriptorum locupletavit [2]). Illa consuetudo eum iuvenem ad libidinibus et fortasse etiam superstitioni indulgendum propensiorem reddidit.

Sullae vita plena est indiciorum, eum superstitionem antiquorum, qua oraculis, portentis, insomniis auctoritatem quandam attribuerunt, summo opere coluisse. Ex sexcentis exemplis, quae documento esse possunt, unum tantum eligimus: eum ab aureo simulacro Apollinis quod, postquam Delphis abstulit, inde ab eo tempore semper ominis causa secum habuit, in ipso periculi discrimine, cum ad portam Collinam pugnaretur (a. 82⁰), osculabundum auxilium petivisse [3]). Dein in Commentariis de innumeris ominibus, vaticiniis, insomniis, aliis id genus rebus abunde mentionem fecit; unde eum talium rerum magnopere rationem habuisse apparet. Somniis inprimis tantam fidem habuit, ut in Commentariis Lucullum, cui opus dedicavit, cum vi quadam admoneat „μηδὲν οὕτως „ἡγεῖσθαι βέβαιον ὡς ὅτι ἂν αὐτῷ προστάξῃ νύκτωρ τὸ „δαιμόνιον" [4]). Nec tamen causa tantae superstitionis in hoc posita esse potest, quod tardo ingenio esset; Sallustius eum „animo ingente" fuisse recte monet, „callidum" et „ad simu„landa negotia altitudine ingenii incredibili" [5]). Neque eadem conditione, qua Marius, in cuius superstitiosa reverentia ominum et vaticiniorum aliquid agreste et plebeii erat, et in quo hoc vitium humili loco quo natus erat et indoli hominum inter quos educatus erat, tribui licet. Sulla summo loco natus artibus quibus mortales ad humanitatem informari solent, eruditus erat; eius ordinis homines superstitione quidem non prorsus vacabant, sed non tantopere ei indulgebant,

---

[1]) Ibid. 95, 2. — [2]) Nicolaus Damascenus apud Athen. VI, p. 261 c; Plut. Sulla 33. — [3]) Plut. Ibid. 29; Val. Max. I, 2, 3; Front. Strat. I, 11, 11. — [4]) Plut. Sulla 6; Lucull. 23. [5]) Sall. B. I. 95, 3.

quantopere homines qui de plebe rustica erant. Educatio, qua plerique viri nobiles fructi erant, una cum doctrina et librorum usu animos et ingenia excoluerat; in nobilium ordine eorum temporum permulti clari viri erant, a superstitione plane liberi. Sulla, ut supra vidimus, liberaliter atque ingenue educatus, Sallustio auctore „litteris doctissime eruditus" erat. Quod eum quominus superstitioni indulgeret prohibuisse credideris, sed servi et libertini, ex quibus pro maxima parte histriones illi, quorum Sulla amantissimus erat, proficiscebantur, eam maxime colebant.

Fortasse non est temeraria coniectura, illos fuisse, qui eum exemplo suo docerent, tantum momentum talibus rebus tribuere. Sed aliquam admirationem movet modus, quo Sulla illas res tractaverit et consilium, quo superstitionem coleret. Raro tantum vel numquam accidit, ut eam multum in actionibus suis valere pateretur; numquam, ut Mario tam saepe evenit [1]), ut propter portenta aut miracula rem aliquam gerendam omitteret, aut consilium aliquod abiectum reciperet, ei accidit. Ob hanc unam causam aliquid momenti ominibus observandis tribuebat, ut inde sibi persuaderet, etiam deos nihil antiquius habere quam ut se suasque res gestas probarent, simul in eo praecipue, quem prae ceteris diligerent, curas et palmas consumerent. Quod cum ei persuasum esset, accidit, ut hac re superbiam permulceret, confidentiam, audaciam, temeritatem augeret, ut ipse sibi placeret et fortasse etiam, ut vim conscientiae opprimeret. Consuetudo, qua in iuventute cum hominibus, qui ipsi tenacem fidem in ominibus ponebant, fruebatur, eum his indulgere assuefecit docuitque eis uti tamquam instrumento, quo non ea quae agerentur administraret, sed ipsos deos sibi blandiri putaret.

Drumann v. cl. Sullam vanum fuisse putat: „Sulla war „schön", ait, „. . . . er bezeugte es sich selbst" [2]), „er war „eitel und legte Werth auf sein Aeusseres und liebte den „Putz" [3]). Quod ut ostendat ea, quae Sulla ominantibus

---

[1]) Cfr. Plut. Mar. 17 et 36; App. B. C. I, 61; Val. Max. I, 2, 3; Front. I, 11, 12. — [2]) Drumann Gesch. Roms II, p. 498, annot. 13. — [3]) Ibid. II, p. 504, annot. 66.

auguribus respondit, allegat, qui grandi igne cum lucida flamma e terra evomito effecerunt „ὡς ἀνὴρ ἀγαθός, ὄψει διάφορος „καὶ περιττός, ἄρξας ἀπαλλάξει τῇ πόλει ταραχὰς τὰς „παρούσας" [1]). Hunc virum Sulla se esse affirmavit „τῆς „μὲν γὰρ ὄψεως ἴδιον εἶναι τὸ περὶ τὴν κόμην χρυσωπόν"; sed in his verbis non inest quod Drumann inesse arbitratus est. Solum dicitur flavum comae colorem aliqua ex parte faciem peculiarem reddidisse; erat itaque „ὄψει διάφορος" i. e. insignis, quod tam eum qui inter alios excellit, quam eum qui facile conspicitur, significat. Altero argumento utitur quod Sulla, cum imperator esset, Roma relicta, Neapoli, Graecorum morem secutus chlamydato sibi et crepidato ambulare deforme non duxerit [2]). Sed eam rem vanitati documento esse vix posse vel ex ipsis Ciceronis verbis efficitur: „*Deliciarum causa*", ait, „*et voluptatis,* non modo cives Romanos „sed et nobiles adolescentes et quosdam etiam senatores, summo „loco natos, non in hortis aut suburbanis suis, sed Neapoli .... „cum mitella saepe vidimus; chlamydatum L. Sullam impe„ratorem" [3]).

Sulla gratia, qua apud Bocchum usus est, qui cum eo potissimum de tradendo Iugurtha egit et suis precibus fatigatus tandem Numidam regem dedit, gloriatus est [4]); etiam anulum signatorium, quo res incisa erat, sibi faciendum curavit [5]). Postea muneribus Maurorum regis delectatus est, qui ut populum coleret et Sullae gratus esset triumphales Victorias iuxtaque auream statuam Iugurthae, quem ipse Sullae tradebat in Capitolio dedicavit [6]). Nec tamen Sulla plus in eis posuit, quam quod statuis et simulacris id significabatur, quod sibi persua-

---

[1]) Plut. Sulla 6. — [2]) Cic. pro Rab. Post. 10, 27; Val. Max. III, 6, 3. — [3]) Cic. ibid. 26. — [4]) Cfr. Sall. B. I. 103, 7. — [5]) Plin. N. H. 37, 9: „Sulla dictator traditione Iugurthae semper signavit"; Val. Max. VIII, 14, 4: „L. Sulla ... Iugurthae a Boccho rege ad Marium perducti „totam sibi laudem tam cupide asseruit ut anulo, quo signatorio ute„batur, insculptam illam traditionem haberet;" Plut. Sulla 3 „αὐτὸς ὁ „Σύλλας ... γλυψάμενος ἐν δακτυλίῳ (ἐφόρει) εἰκόνα τῆς πράξεως καὶ „ταύτῃ γε χρώμενος ἀεὶ διετέλεσεν;" cfr. Plut Mar. 32. — [6]) Plut. Mar. 10; Sulla 6; De reip. gerend. praec. 12.

sum erat, se minorem maiori, quaestorem consuli, imo plurìbus deinceps consulibus rebus a se gestis praestitisse.

Gaudium ex eo cepit, quod, quotienscumque anulo signabat, quantum lucri sua felicitas reipublicae attulisset mortales admonuit; dein, quod unusquisque donis barbari regis in Capitolio oculis collustratis, sui imprimis meminit. Haec confirmant quidem eum gloriam amavisse; sic etiam Sallustius eum „cupidum voluptatum sed gloriae cupidiorem" fuisse scribit, sed haec omnia tamen longe absunt ab illa vanitate, cuius eum Drumann v. cl. coarguit. Honores copiosi et conspicui, qui aliis permagni faciendi esse videbantur, a Sulla parvi fiebant, cupiditate laudis et plausus aequalium suorum numquam se duci passus est. Neque delectabatur neque contentus erat specie illa gloriae et potestatis, quae comparari poterat ex magistratibus et honoribus ordinariis, ex consuetudine et reverentia hominum divitum et illustrium. Adeo homines contemnebat, ut tamquam instrumentis eis uti quam eorum laudes appetere mallet. Eo tempore, quo summorum hominum consuetudine frui ei licebat, malebat versari in circulis hominum de plebe et delectari eorum iocis, neque in urbe solum, sed etiam in castris, veluti Sallustius dicit eum quaestorem in Africa „ioca atque seria cum humillimis agere" solitum esse et erga viros dignitatis magis speciosae ita se gerere, ut caveret, ne eorum benevolentiae indigere eisque quidquam debere videretur [1]).

Magniloquentiae et vanitatis nullum vestigium inest in eius Commentariis et in narrationibus ab aliis scriptoribus ut Plutarcho ex eis desumptis; non magis quam Caesar Commentariis suis usus est ad celebranda et extollenda sua merita. Si quis Sullam vanum fuisse existimaverit, hac re imprimis refellitur, quod is — cum quilibet alius dux aegerrime laturus esset, si homines res ab ipso bene gestas Fortunae tribuerent, (Caesar quoque felicitati suae confidere solebat, sed victorias suas nunquam ei tribuit), — quod Sulla, inquam, semper ipsos bonos rerum gestarum exitus Fortunae adscripsit, quod etiam in Commentariis libere confessus est: „Σύλλας", ita

[1]) Sall. B. Iug. 96, 2.

Plutarchus, „καὶ συναύξων καὶ συνεπιθειάζων τὰ πραττόμενα „τῆς τύχης ἐξῆπτεν, εἴτε κόμπῳ χρώμενος εἴθ' οὕτως ἔχων „τῇ δόξῃ πρὸς τὸ θεῖον. καὶ γὰρ ἐν τοῖς ὑπομνήμασι „γέγραφεν, ὅτι τῶν καλῶς αὐτῷ βεβουλεύσθαι δοκούντων „αἱ μὴ κατὰ γνώμην, ἀλλὰ πρὸς καιρὸν ἀποτολμώμεναι „πράξεις ἔπιπτον πρὸς ἄμεινον. ἔτι δὲ καὶ ὧν φησι πρὸς „τύχην εὖ πεφυκέναι μάλλον ἢ πρὸς πόλεμον τῇ τύχῃ τῆς „ἀρετῆς πλέον ἔοικε νέμειν καὶ ὅλως ἑαυτὸν τοῦ δαίμονος „ποιεῖν." Post proelium ad Chaeroneam factum (a. 86⁰) Sulla tropaeis inscripsit „Ἄρη καὶ Νίκην καὶ Ἀφρο- „δίτην' [1]) ὡς οὐχ ἧττον εὐτυχίᾳ κατορθώσας ἢ δεινότητι „καὶ δυνάμει τὸν πόλεμον" [2]). Etiam, cum a. d. IV et III Kal. Febr. anni 82[1] de rege Mithridate triumphavisset [3]) et in contione de rebus a se gestis rationem reddidisset, bonos exitus non minus Fortunae quam suae virtuti tribuit et hanc ob causam palam nomen 'Felicem' accepit, cum iam antea in litteris Graecis, quas de pace facienda ad Graecos scripsit, 'Epaphroditum' i. e. Veneri (Fortunae) venustum se appellasset [4]). Filio e Metella nato 'Fausto', filiae geminae 'Faustae' nomen dixit [5]). Eum igitur, qui tam sincere prosperos conatorum eventus fortunae ascripsit, vanitatis aut magniloquentiae vix argueris.

Verum una omnium maxima fuit in Sulla superbia. Erat, ut ait Plutarchus, „φύσει μεγάλαυχος" et „ὑπερόπτης" [6]). Vanitas autem hac re a superbia discrepat, quod homo vanus ceterorum mortalium iudicia magnopere curat, superbus id tantum, ut sibi placeat, studet. Et eo ipso quod Sulla aliorum iudicia parum curabat, quod homines despectui habebat, tot

---

[1]) i. e. non Romanam Venerem ab origine deam veris, postea floris et prosperitatis, sed Graecam, quae dea Fortunae bonae et felicitatis erat; cfr. Preller Griech. Mythol. I, p. 281 adn. 2. — [2]) Plut. Sulla 19. — [3]) Cfr. Baiter Fasti cons. et triumph. p. CLX. — [4]) Plut. Sulla 34; Vel. II, 27, 5; App. B. C. I, 97 eum ex s. c. ita vocatum esse tradit, quod sic intelligendum est, eum nomen a se ipso acceptum s. c. sanxisse; nam omnia quae dictator fecit, legitima quodammodo esse voluit; cfr. Val. Max. VI, 4, 5 extr. — [5]) Vide supra p. 5. — [6]) Plut. Sulla 3 et 30 fin.

caedes cum ipse perpetravit tum per alios perpetrari sivit, contentus dummodo effrenatas cupiditates ac libidines suas expleret, crudelitates exerceret. Cum fortuna ferebat, etiam ad misericordiam commovebatur; erat, ut apud Plutarchum scriptum est, „πρὸς ὀϊκτον ὑγρὸς ὥστε ῥᾳδίως ἐπιδακρύειν" [1]). Sed facile ira incendebatur et, faciei rubedine adaucta, furor pericula minabatur [2]). Postquam conquievit mansuetus, promptos aditus praebuit [3]); tunc Metella ei summae curae erat; quin etiam inimicos, qui bilem eius non moverant, aut quos metuendos non esse arbitrabatur, impunitos dimisit. „Adeo Sulla", inquit Velleius, „dissimilis fuit bellator ac victor ut, „dum vincit acie, iustissimo lenior, post victoriam audito „fuerit crudelior. Nam et . . . multos . . . potitus eorum „dimisit incolumes, credo, ut in eodem homine duplicis ac „diversissimi animi conspiceretur exemplum" [4]). „τὸν δ'ἄλλον „τρόπον ἀνώμαλός τις ἔοικε γεγονέναι", ait Plutarchus, „καὶ „διάφορος πρὸς ἑαυτόν, ἀφελέσθαι πολλά, χαρίσασθαι πλείονα, „τιμῆσαι παραλόγως, παραλόγως ἐφυβρίσαι" [5]). Quae inconstantia ex ea re orta est quod Sulla praesentibus animi sui affectibus tantum satis faciebat, aliorum gaudia non magis quam aerumnas aut dolores moratus.

Sulla cum amicos et praecipue milites suos praemiis afficeret, non eorum commodis perducebatur, neque eo spectabat ut postea aliis occasionibus et sub aliis ducibus rem aeque bene gererent, sed tantummodo id fecit, ut eos sibi obligaret utque ipse animo indulgeret. Nulla re magis delectabatur quam hac, „quod nemo magis quam ipse amicos suos remunerasset, ab „inimicis suis poenas sumsisset", hoc dictum insculpebatur in eius sepulcri monumento, et id ipsius iussu factum esse traditur [6]). In Africa, postquam in Marii castra venit, iam militum animos sibi praecipue conciliare coepit [7]), bello sociali sub L. Porcio Catone consule legati munere fungens se nimis indulgentem praebuit; postea omnia militibus permittere insti-

---

[1]) Plut. ibid. 30. — [2]) Senecae Ep. I, 11, 4 „Sulla tunc erat violentissimus cum faciem eius sanguis invaserat." — [3]) Sall. B. I. 95, 3 „Sulla erat amicitia facilis." [4]) Vell. II, 25, 3. — [5]) Plut. Sulla 6. — [6]) Plut. Sulla 37, fin. — [7]) Sall. B. I. 96, 2.

tuit, modo ipsi servirent et obedirent; iam cum pro praetore esset in Asia et in Cappadocia patiebatur milites ultima flagitia committere contra incolas illarum regionum, et postea ita agere pergebat. Mirum non est milites voluntate propensa in eum factos esse; sed hac ratione Sulla disciplinam militarem corrupit, effecit ut milites abhinc existimarent, duces suos cum imperio esse, non ut pro republica officio suo fungerentur, sed ut ex voluntate et arbitrio ipsorum militum penderent neque quidquam his recusarent. „Huc accedebat", ait Sallustius, „quod L. Sulla exercitum, quem in Asia ductaverat, quo „sibi fidem faceret, contra morem maiorum luxuriose nimisque „liberaliter habuerat ....; igitur ei milites, postquam victoriam „adepti sunt, nihil reliqui victis fecere" [1]).

Itaque hac re valde nocuit reipublicae Romanae quod corrupit milites et exercitus: „ibi primum insuevit exercitus populi „Romani amare potare, signa, tabulas pictas, vasa caelata „mirari, ea privatim et publice rapere, delubra spoliare, sacra „profanaque omnia polluere" [2]); praeterea hac re innumeros homines, quorum plerique numquam quicquam mali ei fecerant, miserrimos reddidit; dein aliud magnum damnum reipublicae intulit, quod postea apparuit, neque umquam resarciri potuit. Nam semina rerum novarum iecit; veterani, divitiis exesis, fortunis confectis, rationis qua eas nacti essent nimis diu memores, alias divitias concupiscebant, neque a bello civili abhorrebant, dummodo cupiditatibus satisfacerent [3]). Deinde multi alii homines, qui aut et antea pauperes fuerant, aut postea ex divitibus pauperes facti erant, exemplo veteranorum Sullanorum irritati, eodem rerum novarum studio excitati sunt, rerum publicarum conversione quadam se quoque opibus et fortunis potituros rati; horum quoque permulti postea Catilinae se addixerunt [4]). Sulla sortem hominum innocentium, re familiari privatorum aut extremis malis affectorum, non magis curabat quam disciplinam militarem et veram salutem patriae. Mortales habuit pro histrionibus, qui in scaenam

---

[1]) Sall. Bell. Catil. 11, 5. — [2]) ibid. § 6. — [3]) Sall. B. Cat. 16, 4, „plerique Sullani milites, largius suo usi, rapinarum et victoriae veteris „memores, civile bellum exoptabant." — [4]) Sall. B. Catil. 11 et 16.

prodibant et pro quibus ipse fabulas composuerat; si partes bene agebant, plausum dabat, sin male, eos abiciebat.

Ingens fuit opus, quod Sulla ad ordinandam rempublicam aggressus est. De hoc opere Mommsen v. cl. in libro „Römische Geschichte" inscripto, praeclare egit. Mutationibus institutionum reipublicae expositis, quas ille fecit, adiecit legum argumenta ut ante illum dictatorem erant [1]) et tam de laude, qua Sulla descriptione civitatis commutata dignus, quam quanti nova illa reipublicae forma ipsa aestimanda sit disputat [2]). Inter omnes nostra aetate rerum scriptores convenit eius institutorum virtutem vix alicuius momenti esse, et fundamenta quibus nituntur nimis laxa fuisse quam ut stabilia et firma essent [3]); ordinare rem publicam ab eius ingenio abhorruit; Mommsen rectissime ostendit quo modo factum sit ut nihilominus rem aggrederetur [4]). Cum educatio tum proximi familiaresque, quibus iuvenis fruebatur, eum bonorum civium institutis et praeceptis assuefecerunt: clavum reipublicae solis et unis nobilium familiis auctoritate, qua in senatu valerent, tenendum esse; hominibus sui generis et ordinis tantum magistratus fungendos et provincias administrandas, ordinem equestrem a via, quam Gracchi ei patefecerunt, ut aliqua ex parte ad rem publicam gerendam aggrederentur, repellendos, ante omnia eis iurisdictionem, molestissimam nobilibus, adimendam, ut in posterum magistratus et iudices ex eodem ordine electi, suis invicem commodis impune faverent. Dein populares ad eam infirmitatem redigendos esse, ut opes quibus nobilibus resisterent prorsus deessent.

Quod ad colonos et socios Italicos pertinet, optimates hoc praeceptum colebant: Italiam Romanorum imperio prorsus subiectam esse debere. Illarum opinionum, vulgo omnibus optimatibus communium, Sulla iam ab iuventute ultro particeps erat; verum ipse ab initio, cum virium suarum etiam

---

[1]) Mommsen Röm. Gesch. II[8], p. 345- 365. — [2]) Ibid. p. 365—376. — [3]) Ibid. p. 274; Drumann p. 505 et p. 507. — [4]) Principio Sulla hoc opus neque quaesivit neque suscipere voluit: „Sulla hatte die schwierige „und grauenvolle Arbeit des Restaurationswerkes nicht gesucht noch „gewollt (p. 338)" .... „Fast ohne es zu wollen war Sulla der berühmteste „Feldherr seiner Zeit, der Hort der Oligarchie geworden". (p. 371.)

inscius esset, nihil aliud nisi ut eodem modo quo homines sui generis rempublicam capesseret, egit, obsecutus officio, quod ei locus, quo natus erat, imposuerat, et ita quidem ut optimatium commodis semper faveret.

Sed haec omnia ut res minoris momenti, non magnopere ei curae erant; summum studium in ea re posuit ut quam maxime ipse vita frueretur [1]). In prioribus bellis, (cum quaestor esset adversus Jugurtham a. 107°, legatus a. 104° et tribunus militum a. 103° contra Cimbros et Teutones, sub Catulo consule a. 102° et tandem propraetor adversus Mithridatem a. 92°), nihil aliud nisi vulgaris reipublicae magistratus erat nec plus esse voluit. In illis bellis vix ullum desiderium potestatis singularis animadvertas; — ne bello quidem Marsico, quod gerebatur de quaestione utrum Romani summo imperio sociis Italicis imperaturi essent, an hi aequo iure quo Romani ipsi fruerentur. Ne hoc quidem in bello partes suscepit viri, qui, ut sua consilia et rationes in civitate praevaleant, nititur, sed ducis Romani, qui labore suo et opere rem publicam a difficultatibus et molestiis, quibus sociorum efflagitationes, iustae quidem sed identidem repulsae, eam obruerant, defenderet. Ad easdem arcendas etiam Marius arma tunc sumserat. Sulla demum Sulpicii impetu excepto singularem potestatem nactus est [2]). Instituta et leges aliquot tum coepit quidem mutare [3]), sed simul nihil antiquius habuit quam ut bellum Mithridaticum conficeret, ut, solitis magistratus ordinarii partibus susceptis, reipublicae operam suam tribueret.

Seditiones et motus Marii, Cinnae, Carbonis (a. 87°—84um) eum ex oriente revocaverunt et venit cum exercitu paratissimo ad omnia, quae iussurus esset, perficienda [4]), sed non ut dominationem appeteret, verum ut acceptas iniurias ulcisceretur [5]). Principio in socios Italicos non saeviturus erat; sed tum demum inplacabile odium in eos suscepit, postquam hi, veriti ne irreparabile damnum aut eorum possessionibus aut corpo-

---

[1]) Mommsen l.c. p. 370. — [2]) Ibid. p. 371; Plut. Sulla 10 init. (a. 88°). [3]) Mommsen p. 258; Liv. ep. 77; App. B. C. I, 59. — [4]) Plut. 27; App. B. C. I, 79, Mithr. 51. — [5]) App. B. C. I, 77, „ἀλλ' αὐτίκα καὶ τοῖσδε (affinibus) καὶ τῇ πόλει πάσῃ τιμωρὸς ἥξειν ἐπὶ τοὺς εἰργασμένους.

ribus inferret [1]), adversariorum rebus faverunt [2]). Quo bello confecto post pugnam ad portam Collinam factam (Kal. Nov. a. 82^{i}), et mox expugnatam Praenestam, Norbam, Neapolin, Aeserniam et ad extremum (a. 80^{0}) Volaterram, rebusque in Sullae commodum mutatis, in urbem non tantum verum etiam in Italiam dominationem sibi paraverat. Tum demum opus reipublicae in tempus ordinandae aggressus alterum dimidium laboris propositi, quod erat munus inimicorum puniendorum, suscepit. Proscriptionibus caedibusque tota Italia exstincta et quaestione de conditione futura sociorum mox soluta, Sulla facile pergere potuit talesque leges pertulit, quibus caveretur ne in posterum opibus et dominationi nobilium resisteretur. Revera maior optimatium pars eum utrumque munus senatui reliquisse maluit. „Allerdings", ita Mommsen „meinte die „Masse der Aristocratie, dasz jetzt nach dem Tode der beiden „revolutionären Consuln es genügen werde, die gewöhnliche „Ergänzungswahl zu veranstalten und es dem Senat zu über„lassen, was ihm zur Belohnung der siegreichen Armee, zur „Bestrafung der schuldigsten Revolutionäre, etwa auch zur „Verhüting ähnlicher Ausbrüche weiter erforderlich erscheinen „werde. Allein Sulla, in dessen Händen der Sieg für den „Augenblick alle Macht vereinigt hatte, urtheilte richtiger „über die Verhältnisse und die Personen. Die Aristocratie „Roms war in ihrer besten Epoche nicht hinausgekommen „über ein halb groszartiges halb bornirtes Festhalten an den „überlieferten Formen; wie sollte das schwerfällige collegia„lische Regiment dieser Zeit dazu kommen eine umfassende „Staatsreform energisch und consequent durchzuführen?" [3])

Ita Sulla postquam alterum dimidium laboris, quod erat puniendi, furore et ira commotus perfecit, etiam alterum, quod erat reipublicae in pristinam formam redigendae, suscepit; quam rem non melius aggredi potuit quam institutis et praeceptis, quae optimi cives comprobabant, quibusque ipse ab iuventute faverat, ad effectum perducendis. Iure Mommsen intellexit eum in republica ordinanda discrepuisse a Caesare,

---

[1]) App. B. C. I, 82. — [2]) Cfr. Plut. Sulla 29, App. B. C. I, 90. — [3]) Mommsen p. 335.

qui novo et a se ipso excogitato et probato consilio rem publicam constituit, ratione habita certi schematis, quod ei suppeditaverat severa meditatio, iustitia et pietas erga patriam; — Sulla temere vulgares opiniones sui similium hominum et amicorum fovens, non suo iudicio usus, se tamquam instrumento, administro et procuratore antiquam nobilitatem uti passus est. „Man wird daran doch erinneren dürfen, dasz weit weniger „Sulla die sullanische Restauration zu verantworten hat als „die seit Jahrhunderten als Clique regierende und mit jedem „Jahr mehr der greisenhaften Entnervung und Verbissenheit „verfallende römische Aristocratie insgesammt, und dasz alles „was darin schal und alles was darin verrucht ist, am letzten „Ende auf diese zurückfällt. Sulla hat den Staat reorganisirt, „aber nicht wie der Hausherr, der sein zerrüttetes Gewese „und Gesinde nach eigener Einsicht in Ordnung bringt, sondern „wie der einstweilige Geschäftsführer, der seiner Anweisung „getreu nachkommt" [1]), sed ut propugnator partium, quarum gratia viam ingressus est, quam obsoleta, ambitiosa et noxia disciplina, quam iuvenis acceperat, ei monstrabat. Itaque verum esse videtur, culpam immanium et nefandorum scelerum, quae Sulla commisit committique sivit, et pravum quod legibus ab eo correctis et emendatis inhaeret, magis his partibus eorumque institutis crimini dandum esse quam viro qui se pro eorum procuratore adhiberi passus est. — „Adelsthaten waren dies „und Restaurationsterrorismus, Sulla aber nicht mehr dabei „als, mit dem Dichter zu reden, das hinter dem bewuszten „Gedanken unbewuszt herwandlende Richtbeil. Diese Rolle „hat Sulla mit wunderbarer, ja dämonischer Vollkommenheit „durchgeführt; innerhalb der Grenzen aber, die sie ihm ge„zogen, hat er nicht blosz groszartig, sondern selbst nützlich, „gewirkt. Nie wieder hat eine tiefgesunkene und stetig tiefer „sinkende Aristocratie, wie die römische damals war, einen „Vormund gefunden, der so wie Sulla willig und fähig war „ohne jede Rücksicht auf eigenen Machtgewinn für sie den Degen „des Feldherrn und den Griffel des Gesetzgebers zu führen" [2]).

At talibus argumentis Mommsen Sullam omnino non purgare

---

[1]) Mommsen p. 372. — [2]) Mommsen p. 373.

potest, contra hic ob eandem causam minoris faciendus est. Quam maiore laude dignus fuisset si, non aliorum, sed suas ipsius rationes iniisset. Ut animus in remediis eligendis eum fefellisset, hoc saltem nemo opprobrio ei vertere potuit, quod scelestus et furiosus famulus partium, quas ipse minime aestimavit, factus esset. Quam Mommsen mox dicit „Abwesenheit des politischen Egoismus" [1]), ea hac conditione tantum in Sulla laudanda fuisset, si aut a puniendis inimicis et a temperanda civitate prorsus abstinuisset, aut muneri et officio praeclarae et innocentis rationis alicuius totum se dedisset, quae ex eius sententia ad effectum perducenda esset, etiamsi forte dura quaedam et vehementia remedia postularet. E contrario, si quis rogaverit, qua re Sulla permotus nobilium propugnator factus sit, respondendum esse videtur primum praeceptis et institutis, quae postquam iuvenis eis imbutus est, grandior factus accepit quidem, sed quae ipse haud magni momenti fecit; deinde vero praecipue cupiditate acceptas iniurias ulciscendi. Huic ultioni non modo adversarias partes earumque instituta, quae ei impedimento fuerant, sed etiam ipsos homines et gentes Italiae, quae ei restiterant, condonandas esse arbitratus est. Ob eam causam, ut primum ulciscendi cupiditati satisfecit, postquam insuper vetera instituta, nuper a Gracchis aliisque viris popularibus sublata, restituit et opus, quod sibi imposuerat, perfecit, ultro pergere ei non libuit. Vanitate aut ambitione inter cives suos excellendi aut auctoritate praepollendi — ut supra [2]) diximus — prorsus carebat; neque satis patriae amoris ei erat, ut novas leges perlatas confirmaret. Nec magis in eo erat vis certae persuasionis, quae omnia publicae rei posthabet et quae ei pro stimulo esse potuerat, ut quam diutissime summam imperii in civitate teneret. „In seinem Munde", inquit Mommsen, „war es keine Phrase, dasz ihm die öffentlichen Geschäfte „eine Last seien, die er abwarf, so wie er durfte und konnte" [3]). Itaque hac in re quoque virum se praestitit mira et insolita indole: „*καί μοι*", ait Appianus, „*θαῦμα μὲν καὶ τόδε αὐτοῦ καταφαίνεται, τοσήνδε ἀρχὴν πρῶτον ἀνδρῶν καὶ μόνον ἐς τότε Σύλλαν, οὐδενὸς ἐπείγοντος, ἀποθέσθαι, οὐ παισίν* ..

---

[1]) l. c. — [2]) Supra p. 15. — [3]) Mommsen p. 376.

„ἀλλ' αὐτοῖς τυραννουμένοις" [1]). Sed nihil in ea re inest, cur magnopere eum laudemus; quod potentiam abiecit ut primum explevit animum ultionis, probat eum nullo alio stimulo eam potentiam appetivisse quam ultionis desiderio.

Breve temporis spatium quod Sullae, Puteolos in villam profecto, restabat, conteruit in domesticis privatisque negotiis et voluptatibus. Venando et piscando tempus teruit, neque minus legendo et scribendo. Bibliotheca, qua Cicero, Fausto Sullae filio eam possidente, viginti quatuor annis post, cum in Puteolano versaretur, maximo opere delectabatur [2]), sine ullo dubio iam hoc tempore a Sulla dictatore collata est. Studiorum fructus erat opus, quod imperfectum reliquit „Commentarii" inscriptum, sive „libri rerum gestarum" vel „suarum"; in quo scribendo id egit, ut in aequalium et posterorum commodum, eas res, quae ad ipsum pertinebant quaeque ipsi soli optime cognitae erant, memoriae proderet. Ad XXII[i] libri finem pervenit, simul totam fere materiam, quam sibi litteris persequendam proposuerat, amplexus. Rerum quae supererant materia iam ab eo fortasse collata et parata erat. Conscribenti ei adiutor obtigit Cornelius Epicadus libertinus eius, qui postquam calator in sacerdotio augurali fuit, sine dubio eum Puteolos comitatus est. Idem Epicadus grammaticus erat, cuius libri „de Metris" et „de Cognominibus" memorantur [3]) et qui Sulla mortuo librum novissimum quem hic imperfectum reliquerat supplevit [4]).

Alia res dictatori, Puteolis versanti, maxime cordi erat. Dedicationem Capitolii, quod, postquam anno 83[0] conflagravit, ei tamquam „curatori Capitolinae aedis reficiendae" restituendum mandatum est [5]), se mox perfecturum esse speravit. Narrant autem desiderium videndi templum a se restitutum quodammodo causam mortis fuisse. Valerius Maximus auctor est, vehementiorem animi et corporis motum, qui, cum Sulla

---

[1]) App. B. C. I. 103. — [2]) Cic. ad Att. IV, 10, 1. — [3]) Cfr. Teuffel p. 263. — [4]) Suet. de Gramm. 12 „librum quem Sulla novissimum de rebus suis imperfectum reliquerat, ipse supplevit". — [5]) Tac. Hist. III, 72 „Curam victor Sulla suscepit, neque tamen dedicavit"; Plin. VII, 138; Plut. Popl. 15; Plin. XXXVI, 45; cfr. Jordan Topogr. d. St. Rom. I, 2, p. 21 adn. 18.

cognovisset Granium quendam Puteolorum magistratum pecuniam, quam Puteolanus senatus illi rei destinaverat non exsolvere, in eo ortus esset, sanguinem e pectore eius eiecisse et biduo nondum praeterlapso mortem ei attulisse [1]). Plutarchus quoque aliquam mentionem eius rei fecit [2]) addito Sullam pridie quam mortuus sit ob illam causam a libris conscribendis destitisse [3]). Alii auctores, qui, ut Plinius [4]), de dictatoris morte tradiderunt, falsam opinionem de phthiriasi quam supra diximus [5]), cum ea re coniunxerunt.

Itaque Sullae Commentarii, quales post eum mortuum editi sunt et a Romanis legebantur, quaedam ad illos duos extremos vitae dies pertinentia continuerint necesse est. Primum singulare illud insomnium de quo supra dictum est [6]) vidisse non potest nisi nocte antequam obiit; mentio eius facta est a Plutarcho et Appiano, etiam Plinius illud commemorat [7]). De hoc insomnio in Sullae Commentariis dictum fuisse Plutarchus his verbis indicat: „*ὁ δὲ Σύλλας οὐ μόνον προέγνω „τὴν ἑαυτοῦ τελευτήν, ἀλλὰ τρόπον τινὰ καὶ γέγραφε περὶ „αὐτῆς.*" Dein Plinius Sullam moribundum de desiderio, cui nondum satisfactum erat, locutum esse narrat: „hoc tamen „nempe felicitati suae defuisse *confessus est,* quod Capitolium „non dedicavisset" [8]). Etiam haec verba, ut ipsa documento sunt, e Commentariis desumpta sunt. Quod quidem absurdum videtur: quomodo enim aliquis litteris mandaverit res, quae, postquam opus suum intermisit, factae sunt et quae ad ipsius mortem pertinent? Sed hac in re Plutarcho sane non assentiendum est, putanti, in Sullae animo fatidicam quandam vim fuisse. Promptior erit interpretatio rei cogitanti de Cornelii

---

[1]) Val. Max. IX, 3, 8. — [2]) Plut. Sulla 37 „*πρὸ μιᾶς δὲ ἡμέρας „(τῆς τελευτῆς) πυθόμενος τὸν ἄρχοντα Γράνιον, ὡς ὀφείλων δημόσιον „χρέος οὐκ ἀποδίδωσιν, ἀλλ' ἀναμένει τὴν αὐτοῦ τελευτήν, μετεπέμψατο „τὸν ἄνθρωπον εἰς τὸ δωμάτιον· καὶ περιστήσας τοὺς ὑπηρέτας ἐκέλευσε „πνίγειν, τῇ δὲ κραυγῇ καὶ τῷ σπαραγμῷ τὸ ἀπόστημα ῥήξας „πλῆθος αἵματος ἐξέβαλεν*". — [3]) Ibid. „*τὸ γὰρ εἰκόστον καὶ δεύτερον τῶν ὑπομνημάτων πρὸ δυεῖν ἡμερῶν ἢ ἐτελεύτα γράφων ἐπαύσατο*". — [4]) Plin. VII, 138. — [5]) Supra p. 11 ann. 2. — [6]) Supra p. 5 ann. 6. — [7]) Plin. VI, 138, „supremo somno eius cui immortuus quodammodo est". — [8]) Plin. Ibid.

Epicadi supplemento. Sulla sine dubio de illo somnio et de dolore quod Capitolium non refecisset coram amicis aegrotanti sibi assidentibus locutus, talia cum eis communicavit et Epicadus has res XXII° libro addidit, Sullae ipsius verbis usus. Itaque non propria dictatoris manu quidem scripta fuerunt, sed omnia Commentariis eis olim continebantur, eiusdemque sunt auctoritatis quam haberent, si Sulla ipse ea conscripsisset. — Merito Peter v. cl. somnium a Plutarcho traditum in Commentariorum fragmenta accepit; vide fr. 21um [1]); sed eodem iure etiam verba a Plinio servata, quae modo laudavimus, in eadem fragmenta accipienda erant.

---

[1]) Peter fr. p. 134.

CAP. II.

DE REBUS BELLO IUGURTHINO GESTIS ANTE ADVENTUM MARII CONSULIS DEQUE EARUM FONTIBUS PRIMARIIS.

Cum duplex consilium nobis propositum sit, primum illustrare res bello Iugurthino cum a ceteris ducibus Romanis tum a Sulla, gestas, deinde de earum rerum fontibus agere, optimum videbatur hanc materiem dividere in duas partes duoque capita, quorum alterum continet res ante adventum Marii consulis in Africa gestas, alterum res gestas a Mario consule et a Sulla quaestore. In utroque capite primum dicemus de rebus a scriptoribus nostris traditis, deinde de earum rerum fontibus primariis.

Quae varii auctores de bello Iugurthino memoriae prodiderunt, ea, ratione habita singulorum ducum, quorum res narrantur, in tot partes dividere licet quot duces fuerunt. Hoc ordine primum omnia, quae ante adventum Marii consulis in Africam facta sunt, hoc capite paucis explicabimus ratione imprimis temporum habita. Pauca vero de locorum et regionum situ praemittere libet.

Divisio locorum, qualis ante bellum conflatum fuit, haec erat. Provincia Romana, anno 146° ordinata, non ita late patens „pleraque ex Punicis oppida et fines Carthaginiensium,

„quos novissime habuerant (Carthaginienses)" [1]), amplectebatur: itaque regiones circa Uticam urbem et ea loca in quibus olim Carthago fuerat, paulo amplius quam oram maritimam, fere a Candido promontorio usque ad Hadrumetum urbem; Vaga [2]) oppidum non magis ad illam provinciam pertinebat quam Leptis Minor [3]). Ea Numidiae pars, quam Adherbal acceperat, (Numidiam Orientalem), occidentali confinio provinciae Romanae et Ampsaga flumine finiebatur, in meridiem fere usque ad Syrtin Minorem patens. In huius regionis parte septemptrionali extremae urbes hae erant: Vaga [4]) ad orientem spectans, „urbs maxima" [5]) et Cirta, quae a Micipsa condita [6]) ad occidentem solem vergebat, multis mercatoribus Italici generis in utroque oppido habitantibus [7]). Inter utrumque erat vallis Muthulis fluminis, a quo medio non procul ipsis in montibus urbs Sicca sita erat [8]): illa Adherbalis regio erat „specie „quam usu potior . . . portuosior et aedificiis magis (quam „Iugurthae) exornata" [9]). Pars in divisione Iugurthae tradita (Numidia Occidentalis) „agro virisque opulentior" [10]), vastas regiones inter flumina Ampsagam in oriente et Muluccham in occidente sitas amplectebatur, in meridiem vergens etiam maiorem partem finium Gaetulorum [11]). Inde a flumine Muluccha, ab eo fere loco, qui hodie Algeriam a Maroccone dividit [12]), Mauretania regnum Bocchi patuit [13]), illis temporibus non maius quam regio quae hodie Marocco dicitur. Iugurtha, postquam anno 112° etiam Adherbalis partem suae addidit, imperitabat eis locis, quae inde a confinio provinciae Romanae et urbe Vaga [14]) usque ad Muluccham flumen et inde a mari usque ad regiones infra Gaetulorum fines sitas patent.

Trium ducum res hoc capite sunt memorandae, quorum primus L. Calpurnius Bestia consul bellum cum Iugurtha gesturus ineunte vere anni 111[i] legiones in Africam traduxit [15]) et paulo post, exeunte mense Iunio ad magistratus rogandos Romam

---

[1]) Sall. Bell. Iug. 19, 7. — [2]) 29, 4. — [3]) 77, 1. — [4]) 29, 4. — [5]) 48, 1. — [6]) 21, 2 et 3. — [7]) 47, 1; 21, 2. — [8]) 48, 3 et 56, 3. — [9]) 16, 5 —. [10]) l. c. — [11]) 19, 5 et 7; 80, 1. — [12]) Kiepert Lehrb. d. alt. Geogr. p. 220. — [13]) 19, 7; 92, 5; 110, 8. — [14]) 29, 4. — [15]) 27, 4 et 5; 28, 4 et 6.

rediit [1]). Comitia enim ex quo lex Aelia Fufia lata est (anno 154°) mense Quinctili, nisi quid causae interveniebat cur ea deferret senatus, habebantur. Bestiae res gestae cum a Sallustio [2]) tum a Livio [3]), Floro [4]), Orosio [5]) narrantur. Sallustius autem, in rebus tractandis varia prolixitate, huius facta his paucis absolvit: „acriter Numidiam ingressus est multosque „mortales et urbes aliquot pugnando cepit" [6]). De pace pecunia capta empta et de eius conditionibus paulo fusius quidem disputavit [7]), sed earum rerum, quas praefecti a Bestia in exercitu relicti gesserunt, ut fructum ex Iugurtha perciperent, perpauca tantum et ea parum certe tradita sunt [8]) neque distinctiora eis, quae non ita multo post Romae audiebantur [9]). Non uberiora sunt ea, quae reliqui fontes ad hauriendum praebent.

Secundus imperator, Spurius Postumius Albinus, consul anni 110[1], item primo vere „statim ipse profectus" in Africam venit [10]), ibique usque ad exeuntem mensem Iunium moratus „postquam .... comitiorum dies adventabat .... Romam discessit" [11]). Frater eius Aulus legatus inde a mense Quinctili eiusdem anni ad insequentem Februarium [12]) exercitui praefuit; hoc mense Spurius pro consule in Africam reversus [13]) usque ad Sextilem anni 109[1] ibi mansit.

Quae Spurius consul anno 110° in Africa gessit Sallustius in brevissimo conspectu posuit [14]), sed idem expeditionem quam Aulus Postumius mense Ianuario anni 109[1] adversus urbem Suthul, ubi regis thesauri erant [15]), suscepit [16]), pluribus verbis explicavit. Eadem res memoriae prodita est a Livio [17]), a Floro, qui nihil novi tradidit [18]) et ab Orosio [19]), qui, quod valde memorabile est, hic non de Suthul, sed de alia urbe magna ei proxima [20]), mentionem fecit. Orosius enim de „thesauris regiis apud *Calamam* urbem conditis" loquitur; haec urbs aequo iure hoc loco memorari poterat, sed Sallus-

---

[1]) 29, 7. — [2]) 28, 7 — 29, 7. — [3]) Liv. ep. 64. — [4]) Flor. III, 1, 7. — [5]) Oros. V, 15, 4. [6]) Sall. 28, 7. — [7]) c. 29. — [8]) 32, 3 et 4. — [9]) 40, 1. — [10]) 36, 1. — [11]) 36, 4. — [12]) 36, 4 — 39, 4. — [13]) 39, 4. — [14]) c. 36. — [15]) 37, 3. — [16]) 37, 3 — 39, 1. — [17]) Liv. ep. 64. — [18]) Flor. III, 1, 9. — [19]) Oros V, 15, 6. — [20]) Kiepert Atl. Antiq. tab. X.

tius eam alto silentio pressit; quae res argumento est apud Orosium inveniri vestigia quaedam fontis alicuius proprii, neque a Sallustio profecta esse quae habet Orosius, sed ut videtur a Livio. Postquam Spurius pro consule anno 109⁰ iterum in Africam venit, nullas res gessit, exercitu a fratre in provincia Romana in hibernis collocato [1]), ubi per eam aestatem usque ad Metelli adventum mansit [2]).

Postremo Q. Caecilius Metellus consul anno 109⁰ non ante comitia habita, itaque certe non ante extremum mensem Quinctilem, fere Kal. Sextilibus, Roma profectus [3]), usque ad Maium anni 107ⁱ in Africa moratus est [4]). De Metelli rebus in Africa gestis inspiciendus est Sallustius [5]), Livius [6]), Velleius [7]), Florus [8]), Orosius [9]), Appianus [10]), Dio Cassius [11]), Diodorus [12]).

Res a **Sallustio** traditae capitulatim explicatae hae sunt.

1. C. 44,1 — 46,5.

Metellus prava exercitus condicione offensus lapsam disciplinam restituit, Iugurthae legatos, qui deditionem offerunt, accipit. Satis magnum temporis spatium his verbis absolvitur [13]): „praeterea transvorsis itineribus cotidie castra movere . . .“ e. q. s.

2. C. 46,5 — 48,1.

Metellus (fortasse mense Septembri a. 109ⁱ) e provincia Romana ut Numidiam invaderet castra movit, C. Mario eius legato equitatus parti praefecto. Ille Vagam urbem pervenit et a civibus intromissus sine vi et armis praesidium in urbe collocat et rem frumentariam comparat.

3. C. 48,1 — 54,5.

Metellus expeditione adversus Vagam suscepta Muthulis fluminis vallem petit. Eum Iugurtha, quem praeteriit, subsecutus praevertit et, postquam una cum Bomilcare

---

[1]) Sall. 38, 10; 39, 4. — [2]) 44, 4. — [3]) 44, 3 „aestivorum tempus comitiorum mora imminuerat“. — [4]) 86, 5 et 88, 1. — [5]) 44, 3 — 86, 5 et 88, 1. — [6]) Liv. ep. 65. — [7]) Vell. II, 11. — [8]) Florus III, 1, 10, sq. — [9]) Oros. V, 15, 7. — [10]) App. Numid. 2 et 3. — [11]) Dio Cass. fr. 87, 1—5 (od. Melber, Teubn. 1890, I, p. 333). — [12]) Diod 35, 38. — [13]) Sall. 45, 2.

in planitie fluminis eum expectavit proeliumque commisit, inferior discedit [1]). Quo facto urbs Sicca a Iugurtha descivit [2]) et Metellus, per quatriduum apud flumen moratus, castra movit [3]).

4. C. 54,5 — 55,3.

Metellus cum exercitu in loca opulentissima Numidiae profectus, incursione in hostium agros facta, equitibus Iugurthae subito impetum in eum facientibus, magno damno afficitur. Senatus Romanus supplicationem in eius honorem decernit.

5. C. 55,3 — 61,2.

Metellus, exercitus altera parte Mario tradita, statuit oppugnare Zamam, (quae urbs sita est non procul a Muthule flumine in orientem versa, propius a provincia Romana). Postquam satis longa et dura obsidio nihil profuit, finis fit expeditionis anni 109[i]; Metellus praesidiis in oppidis, quae a Iugurtha defecerunt, collocatis [4]), in provinciam Romanam in hibernacula se recipit.

6. C. 61,3 — 62,10.

Insequenti hieme (a. 109[i] et 108[i]) Iugurtha de pace agere pergit sed et tunc Metellus legatos eius corrumpere conatus, ut regem sibi traderent, simulans se eius deditionis conditionem accipere velle, regem decipit aliaque imperat, quae Iugurtha perficit [5]).

7. C. 63,1 — 66,1.

Hac hieme 109/8 C. Marius legatus Uticae in hibernis moratus subsidia, quibus consulatum peteret, sibi comparat.

8. C. 66,1 — 70.

Narratur coniuratio et defectio Vagensium, qui extrema hieme a Metello desciscunt. Is tumultu sedato cives

---

[1]) 48, 3 — 54, 1. — [2]) 56, 3. — [3]) 54, 1. — [4]) Verisimile est Cirtam caput regni, non minus quam Vagam et Siccam in his urbibus habendam esse; nam illa quoque urbs postea Romanorum est (81, 2). Ihne v. cl. (Röm. Gesch. V, p. 149) putat, Metellum Cirtam a Iugurtha accepisse, postquam hic non ita multo post obsequio pacem impetrare conatus sit. Sed illa coniectura minus probabilis est, quod Iugurtham urbem invitam tradere Romanis potuisse vix credendum est. — [5]) 62, 5 et 8.

poenis afficit. T. Turpilium Silanum morte multat [1]) et pergit per Bomilcarem insidias struere Iugurthae, qui a Nabdalse servatus de Bomilcare proditore supplicium sumit. Ineunte aestate Metellus Mario potestatem dat abeundi; is igitur Romam profectus, magistratu petito, mense Quinctili anni 108[i] consul creatur [2]).

9. C. 74,1 — 84,1.

Metellus vere anni 108[i], castris motis, Iugurtham proelio quodam vicit, quod proelium nulla narratione tribus tantum verbis absolvitur [3]). Metellus molesta expeditione adversus Thalam suscepta hoc oppidum, situm in medio regno quod Adherbalis fuerat, a meridie Siccae urbis et a meridie occidentali Zamae, per quadraginta dies in obsidione tenet. Per idem tempus Lepti oppido, quod eius opem imploraverat, nonnullas copias auxilio mittit [4]). Iugurtha, a Gaetulis exercitu collecto, Bocchum convenit [5]) et una cum eo Cirtam petere statuit. Metellus, castris prope ab urbe positis, impetum eorum exspectat [6]). At interea Marium consulem non solum creatum cognoscit, sed populum etiam Numidiam provinciam ei decrevisse certior fit [7]). Clam legatis ad Bocchum missis Metellus eum in spem pactionis cum Roma adducit; complures legationes ultro citroque mittuntur [8]). Metellus a rebus gerendis abstinet, sed tamen eum exercitum in provinciam Romanam reduxisse ex Sallustii capitis 86[i] paragrapho quinta apparet. Dein de modo, quo Marius consul designatus exeunte anno 108[0] Romae se gessit [9]), et tandem de eis, quae idem consul ad bellum parandum perfecit, agitur [10]). Metellus eius in Africam advenientis conspectum fugit [11]); ineunte aestate 107 Romam rediit.

Antequam transeamus ad alios rerum scriptores, magna lacuna explenda est, quae exstat in hac narratione Sallustii. Haec pertinet ad res Bocchi regis. Sallustius dicit, Iugurtham aestate anni 108[i] cum eo foedus fecisse et

---

[1]) 70, 1 — 73, 2. — [2]) 73, 2 — 74, 1. — [3]) 74 3. — [4]) c. 77. — [5]) c. 80. — [6]) 82, 1. — [7]) 82, 2. — [8]) c. 83. — [9]) 84, 1. — [10]) 84, 2 — 5. — [11]) 86, 5.

copias cum eo coniunxisse [1]). Sed non addidit, Bocchum paulo ante, anno 109⁰ ut videtur, cum Iugurtha bellum gessisse et ei ademisse magnam partem regni eius, totam fere Numidiam Occidentalem. Argumentum, quo hoc factum esse demonstratur, inest in ipsis verbis quae Sallustius postea regi Boccho attribuit, quae Bocchus apud eum postea, anno 107⁰, cum legatis Marii consulis Sulla quaestore et Manlio disserens, facit. Tum Bocchus dicit: „Numidiae partem, unde „Iugurtham vi expulerit, iure belli suam factam" [2]). Eadem verba Appianus tum Boccho attribuit: „*γῆν γὰρ ἣν αὐτὸς „Ἰογόρθαν ἀφείλετο πρὸς Μαρίου νῦν ἀφῃρῆσθαι*" [3]). Scilicet Bocchus apud legatos conqueritur, quod Numidia Occidentalis, quam iure belli suam esse diceret, a Mario consule ut regio hostilis tractata sit. Ex his verbis igitur apparet, Numidiam Occidentalem aliquando a Boccho esse occupatam; neque obstat, quod thesaurus quidam in castello ad Mulucchan flumen sito servatus etiam tum Iugurthae esse dicitur [4]); verisimile est Bocchum totam illam regionem occupasse quidem, sed castella, loca munita, thesauros in Iugurthae potestate mansisse. Haec autem expugnatio Numidiae Occidentalis a Boccho facta sit necesse est ante aestatem anni 108ⁱ et societatem cum Iugurtha initam; nam postea nullus huic rei locus relinquitur; cadit igitur in id tempus, quod primum Metellus in Africa degit, in autumnum anni 109ⁱ vel in hiemem anni 109/8. Hoc observavisse magni momenti est, quamquam Sallustius id alto silentio pressit.

Duae res, quae alio modo neque explicari neque prorsus intellegi possunt, ex hac re facilem explicationem accipiunt. Primum nunc clarum fit, cur Iugurtha, antea victor, illo anno 109⁰ tam subito omnibus opibus adversus Metellum destitutus, ei omnia indulserit et paene supplex pacem ab eo petiverit [5]); causa desperationis, cui se dedit Iugurtha, haec fuit, quod a novo hoste in regni parte occidentali repente lacessitus, simul Romanis resistere non potuit. Altera res, quae ex hoc facto lucem accipit, haec est: causam quaerenti cur Metellus sem-

---

[1]) 80, 3 — 81, 3. — [2]) 102, 13. - [3]) App. Numid. c. 4. — [4]) Sall. 92, 5. — [5]) 46, 1 sq; 47, 3; 62, 3—10.

per in Numidia Orientali vexanda se continuerit, cur numquam in Numidiam Occidentalem invadere aut hanc terram divitem et fertilem [1]) Iugurthae adimere conatus sit, ita respondendum esse nunc apparet: Metellum ideo hanc regionem non esse ingressum, quod illa iam non Iugurthae esset, sed, exceptis paucis castellis et thesauris a Iugurthae militibus satis defensis et custoditis, iam a Boccho possideretur.

Ideo igitur Metellus ab illa regione vexanda semper abstinuit, ne Bocchum inimicum sibi faceret. Id non eodem modo postea a Mario consule observatum est et inde tunc ortae sunt illae querellae Bocchi ad legatos Sullam et Manlium factae. Huius lacunae igitur a Sallustio in narratione relictae rationem habentibus, multa etiam ex eis, quae mox apud Sallustium sequuntur, aliter a nobis accipienda sunt quam ea proposuit Sallustius. Primum nunc perspicere poterimus quomodo societas inter Bocchum et Iugurtham aestate anni 108[1] facta sit; haec ea conditione facta est, ut Iugurtha necessitate coactus a tanta parte regni desisteret et eam se Boccho concedere affirmaret. De hac re etiam omnem mentionem desideramus apud Sallustium [2]). Praeterea suspicari nunc possumus Metellum, cum anno 108[0] exeunte operam daret ut Bocchum a societate Iugurthae revocaret eique amicitiam Romanorum ostentaret, id hac ratione fecisse, ut ei proponeret spem retinendae illius regionis si a Iugurtha deficeret [3]), et Bocchum hoc postulavisse tamquam pretium proditionis, ut Romani sibi permitterent possessionem Numidiae Occidentalis.

Re vera id plane confirmatur rebus postea factis. Novimus enim Bocchum postea, anno 107[0], a Mario consule etiam petivisse, ut Romani amicitiam secum facerent et sibi tamquam praemium relinquerent hanc regionem. Id quidem tunc quoque non a Sallustio discimus, is tum quoque id reticet [4]) et solum tradit Bocchum voluisse amicitiam Romanam, nulla conditione adiecta; sed quid verum sit cognovimus

---

[1]) 16, 5, supra p. 28. — [2]) Sall. 80, 3; ibi Sallustius tamen dicit Iugurtham „magnis muneribus et maioribus promissis Bocchum ad „studium sui perduxisse"; et 81, 1 et 2. — [3]) Sallustius de ea re tacet 83, 1—3. — [4]) 102, 2.

a Dione, qui dicit [1]): „ὁ Βόκχος ἐπεκηρυκεύσατο τῷ Μαρίῳ, „καὶ τὰ μὲν πρῶτα τὴν τοῦ Ἰογόρθου ἀρχὴν μισθὸν τῆς „μεταστάσεως ἤτει, ἔπειτα μὴ τυχὼν αὐτῆς ἁπλῶς ἠξίωσε „συμβῆναι." Denique Sallustius postea tandem etiam huius rei rationem habere incipit, quam tamdiu neglexit; nam cum narrat Iugurtham eo tempore iterum petivisse amicitiam et auxilium Bocchi, tum demum etiam addit Iugurtham, ut Bocchum permoveret, ei pollicitum esse magnam partem regni sui, revera Iugurtha etiam multo ante hoc praemium obtulerat Boccho [2]). Ex his omnibus igitur nunc clarum factum est cur Metellus in Numidia Orientali sola bellum gesserit, neque umquam invaserit Numidiam Occidentalem.

Hinc revertimur ad reliquos scriptores. Ex eis, quae alii rerum scriptores de hac belli parte memoriae prodiderunt, quaedam memoratu digna videntur. Easdem res, quarum supra sub **1** mentio fit, etiam **Valerius Maximus** ex Sallustii opere desumptas narravit [3]), sed **Frontinus** haec non e Sallustio hausta tradidit [4]): „quum insuper (Metellus) prohibuisset „alia carne quam assa elixave milites uti"; huius edicti Sallustius aliam partem tantum litteris mandavit [5]): „ne quisquan „in castris panem aut quem alium coctum cibum venderet". Apud **Livium** [6]) hoc scriptum est: „Quintus Caecilius Metellus consul *duobus proeliis* Iugurtham fudit totamque Numidiam vastavit". Sallustius duas quidem pugnas prodidit; supra sub **3** pugnae ad Muthul mentio fit, sub **4** Numidiae vastatae, sub **9** alterius pugnae. Sed hoc alterum proelium a Sallustio tam paucis absolutum est, ut nemo, qui ex eo tantum res cognosceret, illam pugnam parem duceret eius, quae ad Muthul facta est. Livium huius proelii momentum melius illustrasse apparet ex verbis „Metellus duobus proeliis Iugur„tham fudit", ab epitomatore a Livio ipso desumptis, qui in fine narrationis summatim fortasse exposuerat Metellum duobus proeliis superiorem evasisse. Quod ex eo confirmatur,

---

[1]) Dio Cass. fr. 87, 5 (Melber I p 334). — [2]) Sall. 97, 2: „ipsique „Mauro pollicetur Numidiae partem tertiam ..... eo praemio inlectus „Bocchus ..... Iugurtham accedit". — [3]) Val. Max. II, 7, 2. — [4]) Front. Strateg. IV, 1, 2. — [5]) Sall. 45, 2. — [6]) Liv. ep. 65.

quod eadem verba etiam leguntur cum apud **Velleium** [1]) „belli . . . . bene patrati a Metello, „qui *bis* Iugurtham *acie* „*fuderat*", tum apud Orosium [2]) „(Iugurtha) *duobus* etiam *proe*„*liis* victus"; quem utrumque e Livio hausisse credendum est.

Florus narrat [3]) Metellum Zamam frustra petiisse [4]) et Thalam cepisse [5]). Dein haec habet, quae nusquam alibi tradita videmus: „Metellus . . . regem . . . iam finium suo„rum regnique fugitivum per Mauros atque Gaetuliam seque„batur"; sed sine dubio scriptor in errorem incidit. Apud auctorem suum (Livium?) legisse videtur Iugurtham in Gaetuliam et Mauretaniam fugisse (quod etiam a Sallustio narratur [6]), et Metellum dein, postquam Cirtam praeterierit, regibus, qui opes coniunxissent, obviam ivisse. Quantum nobis comperire licet, Metellus fines Numidiae Orientalis numquam superavit, nedum Gaetuliam et Mauretaniam petierit. **Orosius** disputans de condicionibus et imperatis, quae Metellus Iugurtham, se dedere non negantem, perficere iussit, eodem modo, quem supra in alia re ostendimus [7]), a Sallustio discrepat. Sallustius hoc tantum narrat Iugurtham argenti pondo ducenta milia solvisse [8]), elephantos, equos, perfugas nonnullos, (quorum numerus non denotatur), tradidisse; obsides vero eodem auctore non ab Iugurtha, sed a nonnullis oppidis dati sunt [9]). Orosius contra trecentos obsides, copiam frumenti et tria milia amplius perfugarum ab Iugurtha deditos esse scripsit.

Ex illis omnibus efficere licet, alium auctorem (fortasse Livium) res a Metello in Africa gestas magis aequabili prolixitate et ideo pleniores quam Sallustius fecit, litteris consignasse, qui neque ab hoc pependerit neque, ut verisimile est, ex eodem fonte hauserit.

Tertiae Metelli rerum gestarum explicationis, ei valde iniquae, vestigia apud **Appianum** inveniuntur. Quae de hac belli parte ab eo servata sunt leguntur in eius 'Rerum Numidicarum' capite secundo, — ubi persecutus est famam pigritiae et crudelitatis, quarum milites consulem arguebant, cum in Africam

---

[1]) Vell. II, 11, 2. — [2]) Oros. V, 15, 7. — [3]) Flor. III, 1, 10–13. — [4]) vide supra sub **5.** — [5]) v. s. s. **9.** — [6]) 80, 1 et 81, 1. — [7]) vide supra p. 30. — [8]) supra sub **6.** — [9]) 54, 6.

profectus esset, quae res prorsus contrariae sunt eis, quae a Sallustio narrantur [1]), — et capite tertio quo expugnationem Vagae urbis a Metello factam exposuit [2]) et nimis est in atrocitate consulis in transfugas deditos explicanda. Eae res apud Sallustium non inveniuntur, neque apud Livium olim exstitisse verisimillimum est.

Quae Sallustius de Marii, Metelli legati, rebus gestis tradidit pro parte aliqua [3]) cum quibusdam a **Plutarcho** in Vita Marii expositis comparare licet [4]). Primum animadvertimus, illam Plutarchi narrationem argumento esse eum Sallustii opus adiisse et inspexisse. Quaedam enim verba apud illum occurrunt, quae etiam apud hunc scripta videmus et quae ideo quidem a Sallustio desumpta esse videntur, quod ab hoc ipso excogitata et composita sunt. Sunt partes orationum, quas Sallustius ipse confecit Marioque subiecit. Plutarchus in Vitae Marii capite nono agit de conviciis, quibus Marius, secundum eum iam consul, Romae nobiles castigavit. Verba sunt Sallustii, quae is partim [5]) Mario adhuc consuli designato (autumno anni 108, paulo post quam populus Numidiam provinciam ei decrevit), partim eidem, iam magistratu inito in magna oratione, quae capite 85° continetur, attribuit.

Plut. Mar. 9 med.	Sall. 54, 1.
„σκῦλόν τε βοῶντος αὐτοῦ „τὴν ὑπατείαν φέρεσθαι τῆς „τῶν εὐγενῶν καὶ πλουσίων „μαλακίας",	„dictitare sese consulatum ex „victis illis spolia cepisse."
„καὶ τραύμασιν οἰκείοις „πρὸς τὸν δῆμον, οὐ μνήμασι „νεκρῶν, οὐδ' ἀλλοτρίαις εἰ- „κόσι νεανιεύεσθαι."	85, 28. „Non possum fidei causa „imagines neque triumphos aut „consulatus maiorum meorum „ostentare; at si res postulet, „... cicatrices advorso corpore. „Hae sunt meae imagines, haec „nobilitas" e. q. s.
„πολλάκις δὲ καὶ τοὺς „ἀτυχήσαντας ἐν Λιβύῃ στρα-	(§ 16) „ac si iam ex patribus Albini

[1]) 43, 1. — [2]) supra sub 8. — [3]) supra sub 7 et 9. — [4]) c. 7—10. [5]) 84, 1.

„τηγούς, τοῦτο μὲν Βηστίαν, „τοῦτο δ' Ἀλβῖνον..ὀνομάζων, „ἐπυνθάνετο τῶν παρόντων, εἰ „μὴ τοὺς ἐκείνων οἴονται προ- „γόνους αὐτῷ μᾶλλον ἂν εὖ- „ξασθαι παραπλησίους ἐκ- „γόνους ἀπολιπεῖν, ἅτε δὴ „μηδ' αὐτοὺς δι' εὐγένειαν..."

„aut Bestiae quaeri posset, „mene an illos ex se gigni ma- „luerint, quid responsuros cre- „ditis, nisi sese liberos quam „optimos voluisse?"

At cum de illis sententiis dubitari non potest, quin a Sallustio oriundae sint, aequo iure affirmandum est reliqua, quae Plutarchus litteris mandavit, non ex eo hausta esse, sed ab illo ex eodem fonte derivata, quo etiam Sallustius usus sit. Testes huius rei aliquas res citabimus, de quibus magnopere quidem inter Plutarchum et Sallustium convenit, sed simul etiam tantopere eidem inter se differunt, ut ille eas ex hoc haurire non potuerit.

Plutarchus Marium, cum legatus Metelli esset, gratiam milites sibi comparasse narrat [1]), eadem res etiam Sallustio quidem cognita fuit, sed Marii res gestas alio rerum contextu et alio loco in descriptione temporis, quo is munus iam inierat, explicavit. Hanc ob causam Sallustii narratio a Plutarcho aliquantum discrepat, ut de fossis ducendis, de vallis ferendis (ταφρείᾳ καὶ χαρακώσει), negotiis legato, non vero consule dignis et ideo a Sallustio omissis.

Plut. Mar. c. 7 med.

„... πρὸς τοὺς στρατιώτας „ὑπὲρ εὐτελείας καὶ καρτερίας „διαμιλλώμενος, εὔνοιαν ἔσχε „πολλὴν παρ' αὐτοῖς... ἡδιστον „δὲ Ῥωμαίῳ θέαμα στρατι- „ώτῃ στρατηγὸς ἐσθίων ἐν „ὄψει κοινὸν ἄρτον, ἢ κατα- „κείμενος ἐπὶ στιβάδος εὐ- „τέλοῦς, ἢ περὶ ταφρείαν

Sall. 85, 33.

„at illa multo optima reipu- „blicae doctus sum, hostem „ferire, praesidia agitare, nihil „metuere nisi turpem famam, „hiemem et aestatem iuxta pati, „humi requiescere, eodem tem- „pore inopiam et laborem tole- „rare. His ego praeceptis mi- „lites hortabor . . ."

Dein mox haec praecipue:

[1]) Plut. Mar. 7 med.

„τινὰ καὶ χαράκωσιν ἔργου „et sane Marius illoque aliis-
„συνεφαπτόμενος . . . . . „que temporibus Iugurthini
„Ταῦτα πάντα ποιῶν ὁ Μά- „belli pudore magis quam malo
„ριος καὶ διὰ τούτων τοὺς „exercitum coercebat" [1]).
„στρατιώτας δημαγωγῶν, ταχὺ
„μὲν ἐνέπλησε τὴν Λιβύην,
„ταχὺ δὲ τὴν Ῥώμην ὀνόμα-
„τος καὶ δόξης, τῶν ἀπὸ τοῦ
„στρατοπέδου τοῖς οἴκοι γρα-
„φόντων ὡς οὔκ ἐστι πέρας,
„οὐδ' ἀπαλλαγὴ τοῦ... πολέμου
„μὴ Γάιον Μάριον ἑλομένοις
„ὕπατον."

Illae res, ut manifestum est, ad communem fontem reducendae sunt et reliqua omnia, a Plutarcho duobus sequentibus capitibus narrata, eandem conclusionem efficiunt. Magna est inter Plutarchum et Sallustium consensio, vel tanta ut utriusque narratio inter se cohaereat; at contra tanta est discrepantia, quam Sallustius, rebus paullulum immutatis, fecit, ut, quae Plutarchus memoriae prodidit, nullo modo ex illo desumpta esse possint. Nihil igitur superest nisi ut statuamus, eos ex communi fonte hausisse. Plutarchus auctor est [2]) verborum quorundam, quibus Metellus Marium de consulatu rogantem allocutus est; eadem apud Sallustium sunt.

---

[1]) Sall. 100, 4 et 5. — De litteris Romam missis Sallustius copiosiora tradidit quam Plutarchus. Postquam narravit Marium, hieme anni 109/8 hibernis Uticensibus praefectum, milites in Metellum incendisse (c. 46, 5 usque ad finem capitis) et Gaudam ad suam partem traxisse (c. 65, 1—4), addidit hunc, equites Romanos, milites, negotiatores, Mario instigante, litteras in Italiam ad suos scripsisse, ut ostenderent, Marium necessario consulem esse creandum (c. 64, 4 et 5). Sallustius etiam postea (c. 73, 3) bonos exitus, quos illae epistolae Romae in Marii petitionem habuerunt, commemoravit; ea vero omnia a Plutarcho omissa sunt. — [2]) Plut. Mar. 8.

Plut. Mar. c. 8.	Sall. 64, 4.
„οὐ γὰρ ἀγαπήσεις ἂν τῷμῷ	„ne festinaret abire: satis
„παιδὶ τούτῳ συνυπατεύσῃς;	„mature illum cum filio suo
„ἦν δ' ὁ παῖς τότε τοῦ Μετέλ-	„consulatum petiturum. Is eo
„λου παντάπασι μειράκιον."	„tempore contubernio patris
	„ibidem militabat, annos natus
	„circiter viginti."

Dein Plutarchus narrat Marium a Metello missionem postulasse, hunc eam semper negasse et distulisse, et tandem eam dedisse *cum non amplius 12 dies* ante legitimum tempus, per quod magistratus Romae petendus erat, superessent, (quod igitur mense fere Maio anni 108[1] factum est), dein Marium illam missionem *in castris* accepisse et duobus diebus unaque nocte equo viam a castris Uticam confecisse, ibi antequam navem conscenderet sacrificasse, *vaticinium valde faustum* nanctum ante quartum diem in Italiam traiecisse et tandem ante comitia habita Romae in contione adversus Metellum verba fecisse. De illis omnibus excepto vaticinio ipso apud Sallustium nihil est.

Plut. Mar. c. 8.	Sall. 63, 1.
„ἔθυε πρὸ τοῦ πλοῦ. καὶ	„Per idem tempus Uticae
„λέγεται τὸν μάντιν εἰπεῖν	„forte Gaio Mario per hostias
„ὡς ἀπίστους τινὰς τὸ μέγεθος	„dis supplicanti magna atque
„καὶ κρείττονας ἐλπίδος ἀπά-	„memorabilia portendi haruspex
„σης εὐπραξίας προφαίνοι τῷ	„dixerat; proinde quae animo
„Μαρίῳ τὸ δαιμόνιον."	„agitabat fretus dis ageret...
	„cuncta prospere eventura."

Dein Plutarchus capite nono ea, quae Marius fecit ut novum exercitum conscriberet, breviter explicat [1]), additis nonnullis de acribus conviciis, quibus Marius nobiles adortus est, (inter quae Plutarchus, ut supra commemoravimus, quaedam e Sallustio inter legendum hausta et retenta est amplexus). Statim initio capitis decimi sequitur Marium vere anni 107[1] in Africam pervenisse. Hoc loco Metellum ira incensum Marii

[1]) Cfr. Sall. 84 et 86, 2—4.

invisi successoris conspectum fugisse et Uticae exercitum a Rutilio legato Mario consuli traditum esse, talibus verbis conscribitur, qualia fere apud Sallustium leguntur.

Plut. Mar. c. 10.

„ὡς δὲ διέπλευσεν εἰς Λιβύην „Μέτελλος μὲν ἥττων τοῦ „φθόνου γενόμενος καὶ περι- „παθῶν .... οὐχ ὑπέμεινεν „εἰς τὸ αὐτὸ συνελθεῖν, ἀλλ' „αὐτὸς μὲν ὑπεξεχώρησε, „Ῥουτίλιος δὲ τὸ στράτευμα „τῷ Μαρίῳ πάρεδωκε, πρε- „σβευτὴς γεγονὼς τοῦ Με- „τέλλου."

Sall. 86, 4.

„Igitur Marius ... in Africam „profectus paucis diebus Uticam „advehitur, exercitus ei tradi- „tur a P. Rutilio legato, nam „Metellus Marii conspectum „fugerat, ne videret ea quae „audita animus tolerare nequi- „verat."

Sallustius omnia fere eodem modo atque Plutarchus, sed multo maiore prolixitate conscripsit; verum una re multum ab hoc discrepat. Quae discrepantia cum ad compositionem et ordinem rerum magis quam ad ipsa facta pertineat et uterque auctor eisdem verbis utatur, nulla est causa cur statuamus Sallustium ex fonte, cuius Plutarchus ignarus fuerit, illa hausisse. Ea quae illi litteris consignarunt ex eodem fonte manasse videntur et Sallustius ipse, quibusdam omissis et commutatis, res paululum novavit. Non dubitamus ea, quae Plutarchus Sallustii narrationi addidit, ut spatium duodecim dierum, quod ante petitionis tempus supererat, iter Uticam factum, celerem navigationem in Italiam, pro veris habere et breviorem conspectum, sub quem Plutarchus rem subiecit, hac in re veriorem et accuratiorem quam Sallustii existimare.

Is de Mario acturus, initio facto a vaticinio [1]), prioribus temporibus repetitis, narrat deinde eum demissionem exposcisse et explicat sermones, quos cum Metello de consulatu petendo habuit. Hi sermones, (qui apud Plutarchum vaticinium praecedunt), habiti esse videntur superiore hieme in hibernis ad Uticam collocatis. Sallustius autem diserte affirmat [1])

[1]) 63, 1.

eos habitos esse post vaticinium acceptum, sine dubio res perverse exponens; nam verum ordinem apud Sallustium quodammodo perturbatum ex Plutarcho restituere licet. Hieme anni 109/8 Marius hibernis Uticensibus praeerat, ubi missionem expostulans cum Metello de consulatu rogando loquitur. Eius verbis ira incensus eadem hieme perficit ea quae Sallustius tradidit [1]), Plutarchus omisit [2]). Auctore Sallustio [3]) insequenti vere expeditio Metelli in Vagam urbem suscipitur et T. Turpilius Silanus in Metelli castris supplicio capitis afficitur. Marium huic rei affuisse et una cum Metello igitur Uticam reliquisse non ex Sallustio sed e Plutarcho cognoscimus [4]). Quibus rebus factis Marius in castris acrius Metello, ut sibi missionem det, instat [5]), cui is tandem mense Maio a. 108[1] morem gerit. Marius, castris relictis, equo Uticam vectus tum demum vaticinium accipit, quod Sallustius iniuria aliis omnibus praemiserat, quo accepto navem conscendit.

Plutarchus haec omnia non e Sallustio ipso, sed ex communi fonte hausisse praecipue affirmatur re quadam, quae capite octavo tradita et a Sallustio omissa ad T. Turpilii Silani, Vagae praefecti, damnationem pertinet, de quo Sallustius tantum memoriae prodidit, supplicium de eo sumptum esse. Ex Plutarcho cognoscimus Turpilium, Metelli praefectum fabrum, familiarem et hospitem patrium fuisse. Idem narrat Marium, cum iudicio adesset, in eum praecipue acriter invectum, mortem eius expostulasse, ut Turpilius Metello invito capite multatus sit. Postea innocentia Turpilii manifesta facta alios Metelli miseruisse, Marium vero gavisum esse de Metelli mala conscientia, quae res prima causa esset simultatis, qua mox et semper inter se arderent.

Quamquam haec omnia apud Sallustium non sunt, opus non esse videtur statuere eum fonte usum esse, qui, quod ad hanc totam rem pertinet, Plutarcho ignotus fuerit; utrum Turpilius in culpa fuerit necne parum se comperisse affirmat Sallustius [6]) et tantum narrat Rutilium virum turpi vita fuisse, improbum intestabilemque, quae non necessarie cum Plutarcho

---

[1]) 64, 5 — 66, 1. — [2]) supra p. 39 annot. 1. — [3]) c. 66—70. — [4]) c. 8. — [5]) c. 73, 2. — [6]) 67, 3.

pugnant. Sallustius iniquum iudicium de Turpilii moribus aliunde accepisse potest et ob illam causam eius innocentiam e communi fonte omisisse. Ut videtur, cognoscere licet unde Plutarchus sua sumserit. Alio enim loco [1]) de certamine gesto inter Marium sextum consulem (ann. 100°) et Metellum, duobus annis ante censura functum, egit. Illo quoque loco inique de Mario iudicat: eum sextum consulatum pecunia emisse auctor est, eoque magistratu occasionem nanctum esse, quo Metellum, (qui anno 101° alterum consulatum rogasse videtur) prohiberet et Valerium Flaccum administrum suum admitteret. Haec autem verba Plutarchus desumsit ex opere P. Rutilii Rufi, eiusdem viri qui anno 108°, cum in Africa legatus Metelli esset, iudicio Turpilii affuit. Hoc loco Plutarchus Rutilio laudes tribuit [2]) sed eum nimis iniquum Mario fuisse dicit: „ὡς Ῥουτίλιος ἱστορεῖ", ait, „τὰ μὲν ἄλλα φιλαλήθης ἀνὴρ „καὶ χρηστός, ἰδίᾳ δὲ τῷ Μαρίῳ προσκεκρουκώς." Res sane veri simillima videtur Plutarchum etiam hanc narrationem, de qua agimus, de odio inter Marium et Metellum orto, e Rutilio sumsisse. Ita ultro oritur quaestio num opus Rutilii fons communis fuerit, quo, ut apparuit, tam Plutarchus quam Sallustius in hac belli parte conscribenda usi sunt. Per se ipsum nihil amplius quam levis coniectura est, sed mox ostendere conabimur ipsum opus Rutilii praecipuum fontem fuisse Sallustii res a Metello gestas conscribentis; quod si constat dubitari nequit, quin Rutilius fons fuerit huius belli partis quem quaerimus.

P. Rutilius Rufus non minus quam quinque libris Latine scriptis Commentarios de vita sua complexus est, ut ex Charisio apparet [3]). Peter v. cl., hoc opere ab Historiis Graecis distincto, fragmenta recte seiunxit [4]). Res nobis est cum priore opere tantum, quod id tempus modo belli Iugurthini complexum esse potest, quod Metellus in Africa degit, cum hoc Rutilius mense Sextili anni 109[1] eo profectus vere insequentis anni inde Romam rediit [5]). Certum est Sallustium in bello Iugur-

[1]) Plut. Mar. 28. — [2]) ut fecit in Vita Pomp. 37. — [3]) Char. I p. 139 Keil, (Peter fr. p. 123, 11.) — [4]) Ibid. pp. 120—124. — [5]) Rutilius postquam anno 92° in exilium profectus est Mytilenae et Smyrnae scripsit; vide Fischer Röm. Zeittafeln, p. 161 et p. 178.

thino conscribendo multos et varios auctores adiisse. Propriis fontibus, inter quae sine dubio etiam Graece conscriptis, usus est; de Africae situ, de earum gentium rebus gestis, quae eam olim incoluerunt, rationem universam belli Iugurthini ex pluribus operibus cognoscere potuisse videtur. Item fuerunt certo complura opera e quibus rerum politicarum statum, qualis tunc temporis Romae esset, partium contentiones, res foro Romano peractas explorare potuit.

Paucorum scriptorum, quorum opera Sallustii aetate exstabant, nomina cognita sunt. Velleius Paterculus [1]) Scaurum inter oratores tantum nominat una cum Q. Metello Numidico, sed M. Aemilium Scaurum ut Q. Lutatium Catulum, P. Rutilium Rufum et Sullam etiam 'Res suas gestas' conscripsisse constat [2]). Sallustius Sisennam quidem cognovit [3]), sed huius libri, auctore Velleio, Bellum Civile et Sullanum complexi, bellum Iugurthinum scribenti nullam utilitatem praebere potuerunt. Velleius iuxta Rutilium Claudium Quadrigarium et Valerium Antiatem annalium scriptores nominat, quorum omnium opera Sallustio cognita fuisse verisimile est, sed fieri non potest ut de scriptore, qualis Sallustius fuit, quibus fontibus in omnibus historiae suae partibus conscribendis usus sit, ostendatur.

Attamen de fontibus cuiusvis scriptoris, licet eos non ipse significaverit, plura quaedam ad unam argumenti partem ad res in castris bellove gestas pertinentia, saepe cognoscere licet. Hae enim res sunt quarum diligentissima notitia non penes ita multos homines fuisse potest, numerus fontium, e quibus eiusmodi res hauriri potuerunt, re ipsa exiguior est. Multum quidem ab ea re pendet quale genus terrae sit, ubi bellum gerebatur. Quae si est, ut Graecia, regio vita atque victu culta et expolita, exspectare licet etiam ab incolis ipsius regionis notitiam rerum quarundam singularium servatam esse, quae sensim paulatimque a scriptoribus accepta posterioribus commodo erit. Sin autem bellum gestum est in terra vasta, parum nota omnisque cultus et humanitatis experti, cui propria litterarum monumenta, opes retinendi memoriam rerum

---

[1]) Vell. II, 9, 1. — [2]) Peter, fr. p. 120. — [3]) Vell. II, 9, 6.

gestarum, proprii rerum scriptores desunt, res bello gestae — nisi litterae testium oculatorum aut aequalium ab his eruditorum exstiterunt — non aliter nisi in genere et summatim posterioribus cognitae esse possunt. Belli res gravissimae, graviores expeditiones, inprimis quae bono exitu fuerint, ei exitus ipsi cognoscuntur sane, sive litterae ducum ad senatum scriptae eorum mentionem fecerunt, sive fama eadem evulgavit, ab oblivione vindicantur et in opera posteriorum scriptorum transeunt. Sed tunc accuratissimae narrationes rerum singularum, plenae et pragmaticae descriptiones locorum, expeditionum, proeliorum, oppugnationum neque exstant neque (nisi fictae) in historiis exstare possunt; nisi vero inter eos, qui in Romano exercitu versabantur, fuerunt qui operae pretium duxerint ea, quae experti sunt, litteris persequi. Veluti illud cadit in res a Pompeio et Sertorio in Hispania gestas, quarum, cum accesserit ut nulli testes oculati Romani de eis scripserint, prorsus nulla pragmatica notitia exstat. Eiusdem generis sunt res bello Iugurthino in Africa gestae, de quibus Sallustius egit. Africa propriis litteratis incolis eguit, propriis rerum scriptoribus, propriis litterarum monumentis.

Fuit quidem celeberrimus rerum scriptor in Africa Iuba, Mauretaniae rex; sed is plus saeculo post bellum Iugurthinum nituit et ideo suis indagationibus et investigationibus in Africa ipsa factis fortasse quaedam nova de eius rebus exquirere et posterioris aetatis scriptoribus praebere potuit; singularium vero partium belli narrationem novam, copiosam, propriam composuisse non videtur. Novam notionem, quam is afferre potuit, in parvis supplementis hic illic insertis constitisse verisimile est et, cum quinquaginta annis post Sallustium fuerit, exspectare licet in belli narrationibus post eum confectis nonnulla eiusmodi additamenta inveniri, quae iure ad Iubam referri possint [1]). At illa omnia ad Sallustii narra-

[1]) In eis, qui tanquam consiliarii Bocchi regis aderant, cum Sulla Iugurtham deposceret, Sallustius (c. 108, 1 et 112, 1) Asparem, Iugurthae legatum habet, Dabarem, Massugradae filium fidum Romanis, et Volucem, Bocchi filium. Appianus (Num. 5) etiam duorum aliorum hominum mentionem iniecit, Magdalsae, amici Bocchi, et Cornelii cuius-

tionem pertinere non possunt, is singulas huius belli expeditiones, obsidiones, proelia tum solum uberius persequi potuit, si earum rerum descriptiones, aut a testibus oculatis factas aut ab hominibus qui ex eis quaesiverunt, exstiterunt; reliqua necessarie breviter et summatim absolvenda erant.

Inspecta Sallustii narratione apparet apud eum revera nonnullarum belli partium accuratissimas et pragmaticas descriptiones inveniri, ab altera parte longissima temporis spatia esse, quae breviter tantum et paucis absolvit. Pro certo sane non dicemus harum partium uberiores narrationes ea aetate nullas affuisse; nam factum esse potest ut Sallustius ipse nonnunquam fusiores rerum bello gestarum descriptiones quas legerat in libros suos referre supersederit, quod memoratu non dignae sibi viderentur; sed de his partibus a Sallustio paucis absolutis dicere utique licet eum, ut has partes conscriberet, non hausisse ex uberioribus fontibus, etiamsi exstiterint. Earum autem rerum notitiam, quae fusioribus narrationibus continetur, constat ex eorum virorum operibus ad Sallustium pervenisse, quae ea aetate, qua res factae sunt, conscriptae sint. Si illis addere possemus omnes narrationes pragmaticas, quas non Sallustius litteris mandavit, sed quae servatae erant apud alios auctores ut Claudium Quadrigarium, Valerium Antiatem, Livium, Iubam, sciremus quae belli partes copiose et ubere, sive Graece scriptae sive Latine, memoriae servatae fuerint, quae minus. Quod nunc quidem facere non possumus, sed in eis, quae supra illustravimus, hic illic tamen vestigia invenimus, quae documento sunt, praeter ea quae Sallustius fusius tradidit, nonnulla fuisse, a Sallustio paucis quidem absoluta, sed de quibus nihilominus tamen revera accuratae descriptiones exstiterunt.

Ex conspectu supra dato apparet Sallustium de rebus a L. Calpurnio Bestia consule anni 111[1] gestis nihil quod alicuius momenti est tradidisse [1]). Neque magis quicquam rerum a

---

dam liberti, Carthaginiensis, quos Sulla non memorasse videtur. Verisimile est eorum nomina ex Iubae opere ad Appianum venisse. Accedit quod Magdalses fortasse idem est atque Nabdalses, qui antea cum exercitu Iugurthae auxilio venit; Sall. 70, 2, 4; 71, 1, 5. — [1]) supra p. 28.

Sp. Postumio Albino, consule anni 110[1] et proconsule insequentis anni, pragmatice ab illo tractatum est. Primum alicui prolixitati occurrimus, cum expeditionem ab Aulo Postumio Albino legato adversus Suthul urbem anno 109[0] susceptam conscribit [1]). Ex Orosio effecimus Livium quoque de eis rebus quaedam, quae non a Sallustio penderent, tradidisse. Eius temporis, quod Metellus in Africa degit [2]), uberiores narrationes apud Sallustium exstant de his rebus:

1[a]. De rationibus quas Metellus anno 109[0] ut lapsam disciplinam restitueret iniit; copiosior de ea re narratio eiusdem generis et fortasse ex eodem fonte hausta olim (ut probabile est apud Livium) exstitit. Frontinus enim, ut supra [3]) explicavimus, eam Metelli edicti partem, quam Sallustius omisit, memoriae prodidit. Animadvertimus legatos Metelli, (inter quos P. Rutilius Rufus et C. Marius cogniti sunt), illis rebus saltem affuisse; memorabile est Sallustium in hac parte ipsa conscribenda non Rutilium quidem nominasse sed tamen praecipue *legatorum* Metelli mentionem fecisse: „Metellus", ait, „vigilias crebras ponere et eas ipse cum legatis circumire" [4]).

2[a]. De pugna apud Muthul flumen facta. Tota descriptio, quam Sallustius de hoc proelio fecit, testis oculati experientiam sapit, locis perspicue descriptis, pugnae ratione accurate explicata. Audimus auctorem veri amantem, magna pericula et miseriae, quibus Romani conflictati sunt, non dissimulantur [5]), neque Metellum, licet superior evaserit, „minore detri„mento hostes vinci quam suos vincere" [6]) intellexisse, silentio tegitur. Quae autem omnia optime in Rutilium cadunt, quem a Plutarcho φιλαλήθη ἄνδρα καὶ χρηστόν dictum [7]) huic pugnae interfuisse, res bene gessisse et eam partem, qua Romani cum Bomilcare acie conflixerunt, ipsum administrasse constat [8]). Animadvertimus eas res tantum a Sallustio tradita esse, quarum Rutilius non ignarus fuisse videatur, illum totum proelium a parte Rutilii, non Metelli, spectatum explicasse et descriptionem illius proelii a Sallustio e Rutilii com-

---

[1]) supra p. 29. — [2]) supra p. 30. — [3]) supra p. 35. — [4]) Sall. 45, 2. — [5]) ut 51, 1. — [6]) 54, 5. — [7]) supra p. 43. — [8]) Vide Peter, fr. p. 120, 121.

mentariis desumptam esse, non ex eis tantum, quae Sallustius memoriae prodidit, colligimus, sed ex illis imprimis quae, ut Rutilio minus cognita, parum diligenter explicavit Sallustius.

3ª. De Zamae obsidione et proeliis, quae in ea oppugnatione facta sunt. Sallustii prolixitas hic quodammodo etiam mirationem movet, cum expeditio frustra fuerit. Accedit quod in verba quaedam incidimus [1]), quae ipsa satis supervacanea videntur ut „(Metellus) . . . . . *legatis* imperat ubi quisque „curaret". Verisimile est Sallustium prolixam descriptionem muneris, quo Rutilius in oppugnatione perfunctus est et quod ipse in commentariis suis rettulerat, contraxisse.

4ª. Ea praecipue magna prolixitate a Sallustio explicantur, quae pertinent ad res a Mario legato in hibernis Uticensibus hieme anni 109/108 gestas et ad simultatem inter hunc et Metellum ortam. Quae omnia Rutilium compertissima habuisse vix ostendere opus est et ex comparatione cum Plutarcho iam supra suspicionem effecimus [2]) fontem communem ex quo tam Plutarchus quam Sallustius hauserint, nullum alium fuisse nisi Rutilii commentarios.

Dein non leviori documento sunt ea, quae Sallustius de hac parte belli in brevi conspectu posuit. Alterius gravis pugnae tantum hic mentionem facimus, qua Metellus (Livio auctore) anno 108° Iugurtham vicit. Huius proelii momentum Livium non levius duxisse quam eius quod ad Muthul flumen factum est iam supra apparuit [3]). Id igitur quod idem proelium a Sallustio uno verbo tantum commemoratur, cum prior pugna pluribus capitibus contineatur [4]), tum demum intellegi potest, si Rutilius, qui alteri pugnae neque interfuit neque eam descripsit, Sallustii auctor est. De rebus in Metelli castris factis nihil a Sallustio traditum est post ea tempora, quibus Metellus Cirtam adversus Bocchum et Iugurtham defendit, quod extrema aestate anni 108' factum est. Omnia ostendunt Sallustium tempora, quae Metellus in Africa degit, non ex auctore, qui Metelli res gestas minutatim persecutus sit, sed ex eo, qui ea tantum memoriae prodiderit, quibus ipse affuit, cognovisse. Quin etiam rebus, quas Metellus, dum in

---

[1]) 57, 3. — [2]) supra p. 42 sq. — [3]) supra p. 35. — [4]) 48, 3 — 54, 5.

Africa erat gessit, Sallustius finem facit narrata re a Rutilio facta, traductione exercitus consuli Mario. Quo loco Metellus tunc temporis fuerit, comperire non possumus.

Frustra opposuerit aliquis ob eam causam non verisimile esse ea, quae Sallustius et Plutarchus de Marii, legati Metelli, rebus gestis narraverunt, a Rutilio desumptas esse, quod laudem quandam Marii continent et Rutilius huic infensus fuit; nam ab altera parte illa invidia Rutilio, viro veritatis diligenti, impedimento fuisse non videtur, quin Marii virtutes imprimis militares quantum mererent laudaret [1]) et eas res quas Marius, cum ipse adesset, gessisset, explicaret [2]). Ab altera parte ea, quae Mario iniqua tradita sunt, revera apud utrumque praevalent. Machinationes, quas Uticae molitus est Marius [3]), ambitio quae eum incendit ut disciplinam in hibernis relaxari pateretur [4]) vituperatione minime vacant. Partes quas in Turpilii iudicio egit Marius non cum honore eius memoriae proditae sunt [5]). Reliqua, quae Sallustius et Plutarchus de rebus ab eo consule designato et postea munere iam inito gestis disputaverunt, de contionibus et nobilium castigationibus, porro de militibus quos conscripsit et de dilectu, quem ex capite censis habuit [6]), hic memorare supersedemus; nam de Rutilio tamquam illorum auctore vix cogitaverimus.

De Metello contra Sallustius in capitibus e Rutilio desumptis aequissime iudicat [7]), bonam famam qua Romae fruebatur etiam atque etiam significat [8]); hac re inprimis fons Sallustii et Plutarchi ab Appiani, qui Metello iniquissimus est [9]), distat. Nec tamen auctor Sallustii et Plutarchi ei, qui scripta eius legit, ostendere neglexit Metellum non minus quam Marium partium, licet adversariarum, studiosum fuisse [10]), ea re imprimis manifesta facta dolorem Metelli non magis ex ira iniuriae, qua populus eum affecit, natam fuisse quam ex odio vel etiam invidia, qua in Marium flagrabat.

---

[1]) Plut. Mar. 7. — [2]) 46, 7; 55, 7; 56, 3 — 57, 2. — [3]) c. 64 sq. — [4]) 64, 5. — [5]) Plut. Mar. 8. — [6]) Sall. 86, 2, 4; Plut. Mar. 9 init. — [7]) Sall. 45, 1. — [8]) 55, 2; 88, 1. — [9]) supra p. 36. — [10]) 73, 1.

Plut. Mar. 10.	Sall. 82, 3.
„*Μέτελλος ἥττων τοῦ φθό-*	„Nobis satis cognitum est,
„*νου γενόμενος καὶ περιπα-*	„Metellum magis honore Marii
„*θῶν ὅτι . . . . . ἥκει Μάριος*	„quam iniuria sua excrucia-
„*ἐπὶ τὸν στέφανον καὶ τὸν*	„tum."
„*θρίαμβον . . .*"	

Illa etiam aptissime in virum cadunt, qui, ut Rutilius, optimatium quidem causam egit, sed modice et integre.

Etiam **Diodorus** quaedam de Marii, Metelli legati, rebus gestis tradidit [1]). Haec quamquam cum Plutarcho non necessarie pugnant multa tamen in eis insunt, ex quibus illius fontem neque eundem qui Plutarchi neque qui Sallustii fuisse apparet. Inest gravissima acerbitas adversus nobiles despicientes Marium quod publicanorum loco natus erat, („*δοκῶν*", ait, „*γεγονέναι δημοσιώνης*",) additis magnis et in maius auctis laudibus Marii, qui solus a *ῥαθυμίᾳ* et *ῥᾳστωνῇ* nobilium longe distans colitur a militibus et observatur. Eo solo duce milites fortiter pugnant, alio ignave se gerunt, illo praefecto exercitui milites vincunt, alio superantur; hae mendaces iniuriae, quae asperae Rutilio legato esse debuerunt, sane non ex eius commentariis ad Diodorum pervenerunt. Licet Metellus eis verbis non nominatim significetur, videntur idem odium sapere quod prae se fert Appianus [2]) et redolere illum auctorem popularem qui ante Livium annales conscripsit.

Parvula fragmenta denique **Dionis Cassii** quae servata sunt, quamquam aliqua ex parte cum narratione Sallustii satis concinunt, tamen continent quasdam res leviores ab hoc auctore discrepantes vel alienas. Dio paragrapho prima fragmenti 87[1] enumerat ea quae Iugurtha Metello tradidit, et quidem haec: obsides, arma, elephantos, captivos, transfugas. Ut supra iam dictum est [3]) Sallustius [4]) non tradidit, obsides ab ipso Iugurtha Metello esse datos, itaque hoc Dio ex Sallustio non hausit. Sallustius etiam non tradit, quod affirmat

---

[1]) Diod. 35, 38 (Didot II, p. 549). — [2]) App. Numid. 2 et 3. — [3]) Supra p. 36. — [4]) Sall. 62, 5.

Dio, transfugas illos a Metello esse occisos. Sequitur apud Dionem, pactionem ob has causas a Metello cum Iugurtha factam non esse, primum quod Iugurtha ad Metellum ipse venire noluerit, deinde quod Marius legatus et „Cnaeus" quidam nobis ignotus rei repugnaverint. Neutra res apud Sallustium legitur. Omnino prorsus novum est Marium hoc modo paci obstitisse. Quae Dio paragrapho quarta tradit de causis, cur Gauda iratus fuerit Metello, eadem quidem exstant apud Sallustium [1]), sed tamen unam rem addidit Dio, quam Sallustius non habet, Gaudam etiam petivisse a Metello ut sibi condonarentur transfugae, idque ei recusatum esse. Casu non factum esse videtur quod Sallustius nusquam verbum fecit de ratione qua hos transfugas tractaverit Metellus; fieri potest aut ut ipse omiserit quod de ea re tradiderat Rutilius, aut, quod fortasse verisimilius est, Rutilium ipsum hanc rem tacuisse; ex Appiano iam supra [2]) cognovimus eam rem imprimis Metello crimini factam esse ab eius adversariis. Praeterea Dio in hac parte prorsus a Sallustio recedit iudicio acerrimo et hostili quod de Mario tulit [3]). De auctore Dionis non licet quidquam affirmare, ne conicere quidem. Si ex Livio hausit, certe acerbitas, qua Marium opprobriis hoc loco conficit, ipsi Dioni tribuenda est.

Ex eis, quae supra disputavimus [4]), apparuit iuxta Sallustii et Plutarchi narrationem, quae de illis temporibus (a. 109⁰—107um) egit, duas alias, Livii et Appiani, ab illa non pendentes exstitisse. Num in has quaedam a Rutilio derivata manaverint vix dixeris. Iudicium, quod Appianus de Metello tulit, Rutilio prorsus contrarium est. Ab altera parte verisimile est Livium eius opus inspexisse, sed inspectum amplificasse et auxisse. Verba edicti Metelli, quod Frontinus fortasse e Livio desumptum [5]) servavit, e Rutilio hausta esse possunt. Velleius, quem Livium auctorem hic secutum esse probabile est [6]), de machinationibus, quas Marius in hibernis Uticensibus molitus est (a. 109⁰/8⁰), quaedam habet, quae et cum

---

[1]) 65, 2. — [2]) p. 37 sq. — [3]) Ibid. § 2 et 3. — [4]) pp. 35, 36. — [5]) p. 35. — [6]) p. 36.

Sallustio penitus conveniunt, et e Rutilio oriunda esse videntur: „hic", ait Velleius [1]), „per publicanos aliosque in Africa negotiantes criminatus Metelli lentitudinem . . .". Etiam Sallustius cum negotiatorum tum equitum Romanorum mentionem fecit [2]). —

---

[1]) Vell. II, 11, 2. — [2]) 64, 5, supra p. 42 annot. 1.

CAP. III.

DE REBUS A MARIO CONSULE ET SULLA IN AFRICA GESTIS ET DE FONTIBUS EX QUIBUS COGNOSCANTUR.

A. De Marii rebus ante Sullae adventum.

C. Marius consul vere anni 107^{i} in Africam profectus [1]) ibi usque ad autumnum anni 105^{i} moratus est; nam mense Quinctili eiusdem anni absens consul factus est [2]), itaque inter comitia et triumphum, quem cum exercitu reduce de Africa Kal. Ian. a. 104^{i} egit, Romam revertit [3]). Sallustius res ab eo consule ibi ante Sullae adventum gestas conscripsit capitibus 86, 5—92, 5.

1. C. 87, 1.

Apparet Iugurtham et Bocchum, qui aestate anni 108^{i} societatem inierant [4]), licet cum a Metello tum a Maurorum rege legati de pace concilianda missi et remissi sint, per totam hiemem $108^{0}/107^{0}$ copias coniunctas retinuisse et Marii adventu demum [5]) in loca diversa abiisse. Ea quae secuta est aestate Bocchus nuntios ad Marium saepius misit [6]). Marius exercitu

---

[1]) Sall. B. Iug. 86, 4. — [2]) 114, 3; Liv. ep. 67. — [3]) 114, 3; Plut. Mar. 12. — [4]) 81, 2. — [5]) 87, 4. — [6]) 88, 5. Verum Sallustius a vero aberrat hoc loco cum dicit Bocchum ad Marium misisse eo consilio tantum ut amicitiam populi Romani sibi conciliaret; imo Bocchus ab eo

suppleto castris motis in hostis terram proficiscitur. Longum spatium permultas res et paene totam aestatem anni 107ⁱ amplectens a Sallustio his paucis verbis absolvitur [1]) „in agrum „fertilem . . . . proficiscitur . . . . castella et oppida . . . . „aggreditur, proelia multa . . . . facere". Nulla res copiosius explicatur, neque locorum quisquam neque urbium quaequam nominatur.

2. C. 88, 2—91.

Sallustius multus in Mario laude ornando omnia paucis tantum explicavit, mentione tantummodo facta pugnae [2]), qua Marius Iugurtham vicit „haud procul ab oppido Cirta". Itaque Marius tum in extrema Numidia Orientali moratus, urbes Iugurthae, quae opportunissimae ei visae sunt, singulas circumvenit [3]), sed de nulla fusius dictum est. Longa tamen et copiosa narratio de oppugnata Capsa sequitur, quae est urbs procul a mari sita [4]). Kiepert v. cl. eam extremae meridionali parti Numidiae Orientalis attribuit [5]), longe a Thale et Sicca in meridiem spectantem, non procul a Syrti Minore. Id ea re affirmatur quod Marius oppido Laribus (inter Siccam et Thalam sito) ubi stipendium et commeatum locaverat [6]), praesidio belli usus est. Is ut videtur a Cirta profectus, post sextum diem ad flumen Tanain pergit, qua traducta [7]) tribus diebus Capsam pervenit. Quamquam urbs se tradit contra ius belli deletur [8]),

---

petiisse videtur ut Roma sibi concederet Numidiam Occidentalem et hac condicione tantum consulem monuit „ne quid ab se hostile timeret". Huius rei argumentum supra (p. 35) invenimus in verbis Dionis; ibi etiam suspicati sumus, Bocchum eandem rem iam antea a Metello postulavisse. Illis temporibus (inde ab anno 109° usque ad annum 107um) Numidia Occidentalis exceptis castellis et thesauris Bocchi erat, quod Sallustius errore quodam omisit; sed his verbis ipse tamen eam rem quodammodo significat, cum dicit: „alii (Iugurthae amici) ad regem Boc„chum profugerant" (74, 1). Si hoc tenemus, Nabdalsem qui anno 109° Iugurthae etiam socius erat eundem esse atque Magdalsem illum, qui apud Appianum amicus Bocchi (a. 105°) dictus est (Numid. fr. 5, supra p. 45 a. 1), is unus ex eis Numidiae incolis fuisse videtur qui a Iugurtha ad Bocchum desciverant. — [1]) 87, 1. — [2]) 88, 3. — [3]) 88, 1; 89, 1. — [4]) 89, 7. — [5]) Kiepert, Atl. Ant. tab. X, Fk. — [6]) 90, 2. — [7]) 91, 1, 3. — [8]) 91, 7.

milites praeda potiuntur: hoc scelesto praemio Marius infimos homines, qui ipsius invitatu et spe praedae adducti nomen dederant, remuneravit [1]).

3. C. 92, 1—5.

Denuo Marii ducis laudes praedicantur. Is „ad alia oppida „pergit, pauca.... capit, plura igni corrumpit: luctu atque „caede omnia complentur." De anno quo haec facta sint infra disputabimus; hoc loco investigetur qui sint fines de quorum vastatione sermo fiat, nam Sallustius eos non nominavit. Cum haec res apud eum expugnationem Capsae continuo subsequatur, is qui eum legit nescio quo pacto putaverit, rem in Numidia Occidentali, quod olim regnum Adherbalis fuit, et in ea parte, quae ad meridiem vel inter meridiem et occidentem vergit, gestam esse. Dein rogaverit qui factum sit ut haec regio, pro maxima parte iam a Metello in Romae potestatem redacta, nunc, Capsa etiam expugnata, tantam copiam eiusmodi rerum gerendarum faceret. At certum est regiones illas vastatas et oppida expugnata non in Numidia Orientali sed in Occidentali inter Ampsagam flumen et Muluccham sita fuisse, ut ex eo intelligitur quod Marium deinceps subito apud Sallustium ad flumen Muluccham stantem reperimus, quo nihil magis manifestum facit quantopere huius narratio imprimis in hac parte sit lacunosa. Iter a Capsa ad Muluccham primum ducit per totam Numidiam Orientalem, dein per cunctam Numidiam Occidentalem, quae ipsa patet in maiorem longitudinem; quod iter longitudine totius Italiae, quod est inter Patavium et Rhegium, non est magis exiguum [2]). Accedit quod iter pro dimidia parte factum est per terram hostilem, quae, quod scimus, numquam a Metello petita est.

Ne verbo quidem a Sallustio traditum est illum tam ingens spatium percurrisse. Sed ea ipsa lacuna quodammodo repletur si conicimus, vastationes et expugnationes de quibus supra diximus [3]) in vasta illa Numidia Occidentali factas esse, quae universa Romanis infensa et infesta erat. Dein si has res abruptas, quas Sallustius litteris mandavit, omnes referimus

---

[1]) 84, 4; 92, 2. — [2]) Cfr. Ihne Röm. Gesch. V, p. 158, annot. 1; is octingentorum milium passuum id iter fuisse dicit. — [3]) 92, 3, sq.

ad hanc Marii expeditionem per Numidiam Occidentalem ad Muluccham flumen factam, omnis error a Sallustio ablatus erit. Firmum argumentum ex hac re petitur, quod rex Bocchus postea apud Sullam questus est Marium eam Numidiae partem, quam iure ac merito suam duxit, (i. e. Numidiam Occidentalem Iugurthae armis ademptam), vastavisse [1]). Vastatio cuius ibi sermo fit necessarie ad id tempus et ad eam expeditionem, de qua nunc agimus [2]), referenda est; nam tale quid a Mario factum esse nullo alio loco commemoratum est. Marius Numidiam Occidentalem ingressus rem magni momenti suscepit; partim propter difficultatem ipsam expeditionis, partim propter periculum quod incurrebat ne ad summam iram et ultionem excitaret regem Bocchum; quod vero non magis quam invasio ipsa a Sallustio dicitur.

Supra dictum est [3]) Metellum, postquam Iugurtha Numidiam Occidentalem amisit et deinde societatem cum socero anno 108° iniit, ipsum hieme eiusdem anni Bocchum ad suas partes revocare conatum esse, significantem senatum ei Numidiam Occidentalem fortasse concessurum et eum etiam hac spe adductum ab illa regione lacessenda abstinuisse. Marius autem, ut nunc apparet, postquam Boccho non diutius parcere constituit, primus populabundus in Numidiam Occidentalem excursionem fecit. Qua re id effectum est ut Bocchus, mox armis iterum expeditis, Mario haud ita multo post magnum periculum minitaretur. Huius quoque rei falsae causae et debiles a Sallustio traditae sunt; dicit [4]) Iugurtham, dum Marius ad Muluccham versetur, cum Boccho de pace agere coepisse eumque ad novam societatem ineundam adduxisse, pollicitum Numidiae partem tertiam (i. e. Numidiam Occidentalem inter Gaetuliam et mare sitam). Sed eam regionem iam diu in Bocchi dicione fuisse dum Marius eam ademit, cognovimus. Itaque Iugurtha eam regionem non tunc primum Boccho obtulit, sed ei pollicitus est se, coniunctis opi-

---

[1]) 102, 13, „eam vastari a Mario pati nequivisse"; App. Numid. 4; vide supra p. 33 et p. 53 annot. 6. — [2]) 42, 3. [3]) p. 33 et p. 53, 54. [4]) 97, 1—3.

bus Romanis expulsis, eam propriam socero redditurum et in perpetuum tempus concessurum esse.

4. C. 92, 5 — 95, 1.

Marius, postquam ad Muluccham flumen pervenit, Castellum quoddam adoritur, „quod ibi regis thesauri erant". De huius castelli obsidione et expugnatione fusius et uberius disputatum est. Dum id castellum obsidetur Sulla quaestor primum in castra advenit et pro parte quadam obsidioni adest [1]).

De illis rebus **Livius** non nisi haec habet: „Iugurtha pul„sus a C. Mario Numidia" [2]). **Florus** [3]), postquam de Capsa expugnata dixit, non de *castello*, non longe a Muluccha flumine sito, sed de „Muluccha *urbe*" mentionem fecit. **Orosius** in mirum errorem incidit [4]). Putat Capsam ipsam esse oppidum, cuius thesauros Marius ceperit, quam ob causam Capsam „regiis tunc thesauris confertissimam" dicit additque eam „dolo „circumventam captamque esse". Sed haec omnia in castellum ad Muluccham flumen situm cadunt. In eum errorem adductus esse videtur ab auctore quodam, qui ingens illud spatium, quod erat inter Capsam oppidum et castellum, non dilucide significavit, ut quicumque festinantius legeret putaret utrumque in eodem fere loco situm fuisse. Tale quid in Sallustii narrationem cadere modo vidimus; non verisimile est etiam Livium hac in re tanta obscuritate laborasse; accedit quod Florus utramque rem (e Livio haustam) bene distinxit. Constat quidem Orosium nonnulla de bello Iugurthino ex alio auctore, fortasse e Livio [5]), hausisse, quod mox denuo apparebit; sed probabile non est eum ab alio auctore atque Sallustio ipso adductum in hunc errorem incidisse: statuendum igitur est eum sua ex illo sumsisse et ea quae excerpsit semper e Livio explevisse et immutasse.

Res ad hanc partem pertinentes perpaucae servatae sunt apud **Dionem** [6]), sed eae valde graves et memorabiles. Primum enim, ut iam supra ostendimus [7]), solus Dio servavit illam Bocchi postulationem, quam reticuit Sallustius [8]); is

---

[1]) 95, 1. — [2]) Liv. ep. 66. — [3]) Flor. III, 1, 14. — [4]) Oros V. 15, 8. — [5]) Supra p. 36. — [6]) Dion. Cass. fr. 87, 5 (Teubner I, p. 334). — [7]) p. 35 et p. 53 annot. 6. — [8]) 88, 5.

diserte dicit Bocchum primum foedus Romanorum petivisse hac condicione, ut sibi concederetur „ἡ τοῦ Ἰουγούρθου ἀρχὴ „μισθὸς τῆς ἀποστάσεως". His verbis Dionis comprehenditur totum regnum Iugurthae, utraque Numidia; et fieri certe potest ut Bocchus revera tam magnum praemium postulare ausus sit; sed tamen multo magis verisimile videtur verba Dionis non esse ad litteram interpretanda et sermonem a Boccho tantum factum esse de Numidia Occidentali; utrum verum sit pro certo sciri non potest neque multum interest.

Sed invenitur in verbis Dionis etiam alia res, quae difficultatem praebet. Dio dicit Bocchum legatos ad Marium misisse „τῆς Κίρτας καθ' ὁμολογίαν ἁλούσης". Forma huius fragmenti abrupta et exilis non sinit nos ex his verbis pro certo efficere uter Cirtam pactione cepisse dicatur, Bocchus an Marius; sed cum deinceps sequatur apud Dionem Bocchum legatos ad Marium misisse, qui magnum praemium defectionis postularent, magis verisimile est auctorem hoc voluisse, Bocchum nuper occupavisse Cirtam. Praeterea occupatio Cirtae tum (a. 107⁰) a Romanis facta multo difficilius etiam cum reliquis rebus gestis quadrat. Ea autem res, Bocchum occupavisse Cirtam, maximam admirationem movet; nihil huiusmodi apud Sallustium legitur; apud eum Cirta in potestate Romanorum fuit a primo tempore Metelli [1]) et ab eo tempore semper mansit. Paullo quidem post (a. 108⁰) Bocchus et Iugurtha postquam se coniunxerunt, eam urbem adoriri decreverunt [2]); sed Sallustius nusquam narravit eam captam esse, neque magis dixit eam postea recuperatam esse a Romanis. Nobis nihil superest quam ut hanc differentiam accipiamus, in medio relicta quaestione quid verum sit. Quamquam suspicio vix supprimi potest Dionem servavisse vestigium rei vere factae, quam neglexerit Sallustius. Si res ita se habeat, Cirtam urbem paullo post adventum Marii consulis in Africam ad Bocchum defecisse, concludendum sit non solum id a Sallustio silentio pressum esse, sed etiam eum iniuria rem ita proposuisse ac si Marius, cum a Muluccha flumine reverte-

---

[1]) Supra p. 30 annot 1. — [2]) 81, 2.

retur [1]), ad eam urbem tamquam amicam et sibi subiectam venisset, cum revera ipse eam tum etiam armis recipere debuerit. Dionem hoc loco quoque e Livio hausisse in promptu est conicere.

Ad eam autem coniecturam confirmandam egregia occasio oblata nobis est in narratione Orosii. Is enim cum de duobus proeliis illis agit, quae Mario consuli a Muluccha flumine in provinciam Romanam redeunti in itinere contra Iugurtham et Bocchum gerenda fuerunt, etiam narrat Romanos tunc prope a Cirta abfuisse et ad eam urbem primum pervenire voluisse Marium. Sed is non ita rem exponit quemadmodum Sallustius facit, Cirtam tunc fuisse in potestate hostium. Incipit enim narrationem suam his verbis: „postremo (Bocchus) „apud Cirtam . . . . adversum Romanos *expugnationem eius* „*parantes* . . . . occurrit" [2]). Atqui, si Romani tunc Cirtam expugnare instituerunt, ea urbs paullo ante ad Bocchum defecerit necesse est. Id autem ipsum legitur apud Dionem. Itaque concinentibus Orosio et Dione, iam de eorum auctore communi nullo modo dubitari potest; is certe Livius fuit. Quod cum constet, fortasse iam licet paullo confidentius quam modo fecimus etiam de ipsa re iudicare et a Sallustio gravem errorem commissum esse affirmare. Primum enim nunc ei obstat auctoritas non Dionis, sed Livii haud spernenda; deinde vix imaginari possumus, quomodo narratio falsa de Cirtae defectione oriri potuerit, si ea numquam facta esset. Affirmamus igitur primum Cirtam urbem nuper (a. 108° vel 107°) ad Bocchum defecisse et Sallustium id reticuisse; deinde, Cirtam Mario in itinere expugnandam fuisse et id quoque eum silentio pressisse. Addimus Sullam his rebus affuisse et eas res cadere in argumenta eius Commentariorum. Apparet igitur Sullam in Commentariis nihil dixisse de ea re, alioquin enim Sallustius rem ex eis cognovisset, et expugnationem Cirtae, quae Mario certe laudi habenda fuerat, a Sulla in Commentariis non esse memoratam.

---

[1]) Vide ea quae statim infra sequuntur et Sall. 102, 1. — [2]) Oros. V. 15, 10.

B. De Marii rebus post Sullae adventum.

1. C. 97, 3 — 102, 2.

Marius a Muluccha flumine se recipit Cirtam profecturus, itaque castello expugnato in hiberna ire pergit. Sallustius [1]) auctor est eum propter commeatum in oppidis maritimis i. e. Uticae et in locis urbi propinquis, in provincia Romana hibernare decrevisse, sed in hoc itinere primo Cirtam tantum pervenire voluit [2]). Ne hoc quidem loco Sallustius lectorem monuit de ingenti spatio quod Mario percurrendum erat antequam Cirtam perveniret; peragranda enim erat cuncta Numidia Occidentalis, spatium altero tantum maius quam Numidia Orientalis. In eo itinere a Iugurtha et Boccho petitus duobus certaminibus pugnavit, de quibus Sallustius quinque capitibus egit [3]). Eis proeliis Numidae Iugurthae (i. e. milites Numidiae Orientalis) non iam adsunt; adsunt Mauri tantum regis Bocchi et Gaetuli Iugurthae, quos ex ea gente ineunte anno 108⁰ conscripserat [4]) et qui eum ex eo inde tempore secuti erant [5]).

Quantum temporis in itinere Cirtam faciendo consumptum sit a Sallustio non traditum est, prius proelium per biduum commissum esse ex narratione apparet; post quod itineris quatuor dierum mentione facta [6]) alterum proelium sequitur et quinto die post, cum Marius iam Cirtam advenisset ibique iam moraretur, legati Bocchi eodem perveniunt. Itaque intellegendum est illud proelium iam longius a Muluccha flumine in media fere Numidia Occidentali consertum esse.

Eis duobus proeliis ingens hostium strages edita est. De priore Sallustius haec habet [7]): „pluresque eo proelio quam „omnibus superioribus interempti." **Diodorus,** qui in hac re non dissentit a Sallustio, „πολλάς," ait, „τῶν Λιβύων „μυριάδας ἀνεῖλεν" [8]). Ihne v. cl. de tota expeditione [9]): „Es ist nicht ersichtlich", ait, „dasz damit ein bedeutender „Erfolg erzielt war. Im Gegentheil, wenn wir ohne Befangen-

---

[1]) 100, 1. — [2]) 100, 1; 102, 1 „pervenit in oppidum Cirtam quo initio „profectus intenderat". — [3]) 97, 3—102. — [4]) 80, 1. — [5]) 88, 3. — [6]) 101, 1. — [7]) 99, 3. — [8]) Diod. 36, 1. — [9]) Ihne Röm. Gesch. V., p. 161.

„heit den sallustischen Bericht über den Feldzug prüfen, „kommen wir zu den Schlusz, dasz die Sache der Römer am „Ende schlechter stand als am Anfang." Quam opinionem ex errore natam esse vel ex eo apparet quod Iugurtha post hanc expeditionem tantopere omni spe destitutus erat, ut, quamquam iam diu cognovit quanta perfidia Bocchus esset, salutem ab eo petere coactus esset. Viri clarissimi Ihne error inde ortus esse videtur quod Iugurtham, postquam armis decertatum est, thesauris qui soli supererant privatum esse non vidit. Neque Mommsen v. cl. de eisdem thesauris recte iudicare videtur, arbitratus castellum ad Muluccham fuisse „ein „Bergcastell, in das Iugurtha seine Kasse geschafft hatte" [1]).

Quanti momenti fuerint thesauri regni Numidici, a Massinissa rege olim conditi, optime intellegetur si cogitaveris de thesauris regni Persici, quae Alexander Magnus successoribus suis reliquit [2]). Ipse Sallustius momentum thesaurorum Numidicornm significavit, narrans consilium regni dividendi, quod Micipsae filii ceperunt, nihil aliud fuisse nisi thesaurorum divisionem [3]) — (nam singuli thesauri erant centra provinciarum, quo omnia vectigalia singularum provinciarum comportabantur) — et reges divisione facta loca thesauris sibi concessis propinqua capessivisse [4]). Thesauri illi continebant opes a Massinissa congestas, asservatas in munitissimis castellis et custoditas a fidelissimis regiis ministris. Quorum thesaurorum unus Numidiae Orientalis ad Suthul urbem situs, anno 110⁰, aviditatem Auli Postumii Albini legati frustra excitaverat [5]). Eidem erant proprii nervi imperii regii, in quibus possessio exercituum, sociorum, amicorum, adiutorum posita erat, quod cum apud Sallustium demonstratur, tum etiam a Micipsa hac re ipsa confirmatur ubi is his verbis id denegat: „non exercitus „neque thesauri praesidia regni sunt, verum amici" [6]).

---

[1]) Mommsen Röm. Gesch. II, p. 152. — [2]) Iustin. XIII, 1, 8 et 9; et de Mithridatis, qui postquam thesauros Cabirorum amisit, ad Tigranem fugit. (Plut. Lucull. 18, Sall. fr. III 6 Kr.). — [3]) Sall. 12, 1 „Primo „conventu, quem ab regulis factum supra memoravi, propter dissensio„nem placuerat dividi thesauros finisque imperi singulis constitui". — [4]) 12, 2: „itaque tempus ad utramque rem decernitur, sed maturius ad „pecuniam distribuendam". — [5]) Sall. 37, 3. — [6]) 10, 4.

Dum thesauri in Iugurthae potestate eique parati erant dives erat novasque semper copias comparavit, sed mox singulos amisit. Sallustius memoriae non quidem prodidit quibus modis et temporibus Romani eis omnibus singulis potiti sint, sed Metellum unum thesaurum Thalae Numidiae Orientalis cepisse constat [1]). Ceterum manifestum est thesaurum castelli ad Muluccham flumen siti *extremum* fuisse, qui Iugurthae supererat; quem postquam Marius ei abstulit nihil amplius nisi parva pecunia, quae ad stipendium perpaucorum dierum militibus persolvendum fortasse sufficeret, ei relinquebatur [2]). Inde intellegitur Iugurtham pugna illa duorum dierum extrema periclitatum esse, ut bellum victoria reportata conficeret. Marium neque in itinere neque in proelio pecuniam thesauri secum habuisse unicuique facile perspicuum est, sed enim eam in castello a Romano praesidio custoditam reliquerat, neque dubitavit quin Numidia potiturus esset, dummodo thesauris captis, proelio superior factus, Iugurthae viribus fractis, ipse salvus Cirtam et in hiberna pervenisset, quae res ei contigit. Idem propositum assecuturus fuisset, etiamsi, dummodo Cirtam perveniret, minore successu pugnatum fuisset; nam necesse erat fore ut intra paucos dies milites Iugurtham pecunia orbum destituerent et inermem relinquerent. Marius autem eum duobus proeliis vicit. Ita Marius profecto ea expeditione, thesauro qui solus supererat adempto, extremas opes Iugurthae comminuit, sed Ihne v. cl. cum id non perspiceret, de ea re male iudicavit.

2. Ut supra dictum est, Marius hiberna non Cirtae sed Uticae collocaturus erat, ut non solum ex eo intellegitur quod Sallustius id iam antea dixit [3]), sed inde etiam quod Sulla, qui hibernis praefuit, hac hieme Uticae versatus est [4]). Itaque exercitus, postquam Marius cum eo victore Cirtam pervenit [5]), Uticam deducendus erat, quod etiam Sallustius his verbis significavit [6]): „exercitu in hibernaculis composito". Interea Bocchus cum illo, ubi primum Cirtam pervenit, de pace facienda

---

[1]) 75, 1. — [2]) 97, 1: „Iugurtha postquam oppidum Capsam aliosque „locos munitos et sibi utilis et magnam pecuniam amiserat". — [3]) 100, 1. — [4]) 104, 1. — [5]) 102, 1. — [6]) 103, 1.

agere coeperat, legati eius quinto post alterum proelium die in id oppidum venerunt.

3. C. 102, 2—103, 1.

Bocchus cum Mario de pace agit; actum autem hoc modo est. [a]/ Cum Bocchus rogavisset, ut fidos legatos mitteret, Sulla quaestor et Manlius legatus mittuntur. Ille apud regem verba facit, rex de Marii factis conqueritur [1]). [b]/ Non per Sullam et Manlium, — nam his talium rerum potestas non erat, sed ea quae Bocchus peteret Mario deferenda erant, — verum per alios legatos a Mario deinceps missos Boccho potestas datur nuntios mittendi Romam ad senatum, sed, rege ab amicis interea a sententia abducto, illa altera legatio Marii re infecta Uticam rediit. Cum a singulis legationibus iter per Numidiam Occidentalem et Orientalem inde ab Utica usque ad fines Transmulucchanos ultro citroque conficiendum esset, longissimum temporis spatium, maior pars hiemis, dum eae res geruntur, praeterierit necesse est. Sallustio narrante: „Marium *interea* „exercitu in hibernaculis composito . . . . proficiscitur" [2]), vocabulum *interea* non ad verbum *proficiscitur* referendum est, sed ad id quod est *exercitu composito*. Non dicit Marium, dum de pace facienda agitur, profectum esse sed eum dum de pace agitur milites in hiberna deduxisse et postea — ineunte vere insequentis anni — novas expeditiones suscepisse.

4. C. 103, 1 et 104, 1.

Marius extrema hieme, Sulla cum imperio Uticae relicto, partem exercitus educit, ut turrim regiam, quo Iugurtha perfugas omnes praesidium imposuerat, obsideret [3]).

---

[1]) 102, 5—15. — [2]) 103, 1. — [3]) Non solum ex Appiani disertis verbis apparet eam expeditionem adversus Gaetulos susceptam fuisse, sed etiam e Sallustio id intellegi licet. 1°. Narrat Marium profectum esse ad „turrim regiam, quo Iugurtha perfugas omnes imposuerat," capiendam. Supra (p. 60) iam demonstravimus Iugurtham e tota fere Numidia expulsum non Numidarum sed Gaetulorum copiis usum esse. Cum igitur Numidis non iam confideret, perfugas non *eis* sed *Gaetulis* custodiendos dedit. 2°. Bocchus legatos „ad Marium ac deinde si placeat, „Romam ire iussit". Hi putantes eum Uticae esse „mature ad *hiberna* „Romanorum (Uticam, supra p. 62 annot. 5) proficiscuntur." Sed cum eorum iter Uticam esset per Mauretaniam Septentrionalem, per loca

5. C. 103, 2 — 104, 1.

Mario nondum reduce Bocchus consilio denuo mutato quinque legatos Uticam mittit, quibus mandatum est ut Romam proficiscerentur. Qui in itinere a Gaetulis latronibus circumventi et spoliati Uticam ad Sullam perfugiunt. Fiducia in eo posita quadraginta dies morati Marium „confecto quo „intenderat negotio" Cirtam rediisse certiores facti eo arcessuntur, Sulla una cum iis venire iusso. Ex his omnibus apparet expeditionem, de qua supra [1]) dictum est, satis diuturnam et plus duorum mensium fuisse.

6. C. 104, 1 — 105, 1.

Omnes senatorii ordinis Romani Mario vocante ad concilium habendum Cirtam proficiscuntur. Ex eis, quae modo disputavimus, manifestum est id concilium iam non hieme anni 106[i] sed exeunte vere vel prima aestate ad maturissimum mense Aprili Martiove anni 105[i] habitum esse. Permittitur legatis ut Romam proficiscantur. Quibus senatu dato responsum est Boccho amicitiam et foedus non ante concedi posse quam re ostendisset se Romae amicum esse.

7. C. 105—114.

Bocchus, responso a senatu acçepto, litteris missis, a Mario ut Sullam ad se mittat petit; Iugurtha traditur.

8. C. 114.

Marius in Italiam revertitur.

C. De temporibus, quibus Marius et Sulla res gesserint.

Magna est virorum nostra aetate doctorum dissensio de temporis ordine earum rerum, quae in nostro conspectu positae sunt. Constat autem Marium per duos annos et dimidium

---

litori propinqua eis proficiscendum erat. Mirationem igitur movet eos *mature* profectos *circuitu usos* Gaetuliam percurrisse. Ea miratio sublata erit, si statuimus eos in itinere, postquam Marium non Uticae morari, sed expeditionem adversus Gaetulos suscepisse cognoverunt, de via deflectentes longum iter per Gaetuliam persecutos esse. Ex vocabulo *deinde*, quod post *proficiscitur* positum est, etiam aliqua mora intellegitur.

[1]) Pag. 63, sub 4.

in Africa moratum esse, cum vere anni 107[i] eo profectus [1]), post biennium mense Quinctili absens consul factus [2]), Kal. Ianuariis anni 104[i] cum exercitu reduce triumphum ex Africa de Numidis et rege Iugurtha egerit [3]), unde eum non diu ante triumphum fere mense Octobri Novembrive in Italiam traiecisse intellegitur.

Fischer v. cl. [4]) res eo modo per singula tempora distinxit, ut omnia quae supra sub A [5]) memorata sunt, non solum urbes a Mario captas, pugnam ad Cirtam, Capsam expugnatam, sed etiam invasionem in Numidiam Occidentalem, expeditionem in Muluccham flumen, oppugnationem castelli et iter ad Cirtam factum, de quo supra sub B **1** et **2** dictum est, anno 107[0] facta esse putaret. Dein res de quibus supra sub B disputatum est, ut (sub **3**) de Boccho et Mario de pace agentibus, (sub **4**) de extrema Marii expeditione, (sub **5** et **6**) de Maurorum rege denuo cum Consule agente et (sub **7**) de Iugurthae traditione, hiemi a. 107/6 attribuuntur. At ita, postquam Romani Iugurtha vere a. 106[i] potiti sunt, Marium et Sullam per annum et dimidium, per quod nulla res gesta est, in Africa moratos esse credendum est. Longe aliter Ihne v. cl. Is fine anni 107[i] post expugnationem Capsae posito, inter Sallustii caput 91[um] et 92[um] totam hiemem, cuius hic nullam mentionem fecit, interposuit. Argumentum sumsit ex eo [6]), quod auctor dicit post Capsam expugnatam aestatem iam exiisse [7]); dein expeditionem in Muluccham anno 106[0] tribuit; hiberna a Sallustio saepius memorata, in quae Marius milites mox deduxit [8]), hiemis anni 106/5 fuisse putat, ultimam Marii expeditionem [9]) exeunte anno 105[0] et Iugurthae traditionem aestate eiusdem anni factam esse arbitratur. Illo igitur auctore, Sulla, postquam plus anno et dimidio, ex quo praeturam iniit, in Italia moratus

---

[1]) 86, 4. — [2]) 114, 3; Liv. ep. 67. — [3]) 114, 3; Plut. Mar. 12; Baiter Fasti consul. et triumph. p. CLIX; supra p. 53. — [4]) Fischer Röm. Zeittaf. p. 158 et p. 159. — [5]) p. 53, sq. — [6]) Ihne Röm. Gesch. V, p. 161, annot. 2. — [7]) 90, 1 „ager autem aridus et frugum vacuus „ea tempestate, nam aestatis extremum erat". — [8]) supra p. 62 sub B **2**. — [9]) supra B **4**.

est non ante extremam aestatem anni 106[i] in Marii castra advenit. Mommsen v. cl., qui antea expeditionem ad Mulucchaм anno 107[o] attribuerat, nunc quoque [1]) hiberna, de quibus Sallustius mox egit, anni 106/5 fuisse putat; itaque, nulla mentione hiemis anni 107/6 iniecta, ad Ihnii sententiam accessisse videtur.

Sententia, quam Fischer v. cl. amplexus est, praeterquam quod Sallustius semel tantum de hibernis mentionem fecit, hac re in primis nititur, quod Marius apud eum tam in receptu a Mulucchа flumine [2]) quam dum in sequentibus hibernis moratur [3]) et postea Sulla Iugurthae traditionem a Boccho postulante [4]), *consul* dicitur, cum *pro consule* dicendus fuisset, si eae res *post* finem Marii consulatus, exacto iam anno 107[o] aut certe diu post, factae essent. Sed id argumentum in errore positum est. Consul magistratu deposito *Romae* quidem *pro consule* dicebatur, sed bello et in provincia tam diu *consul* vocabatur quamdiu cum imperio consulari erat. Cuins rei argumento sit Spurius Postumius Albinus, consul anni 110[i], qui, postquam Kal. Ianuariis anni 109[i] magistratum deposuit [5]) denuo in Africam profectus ibi annum 109[um] moratus a Sallustio ipso bis *consul* dictus est [6]).

Dein multae res, quae viros doctos fefellerunt et ex quibus necessarie apparet ea, de quibus disputatum est, in tam breve spatium coartari minime posse, cum illa opinione pugnant. Supra [7]) iam animadversum est 1[o]. Bocchum cum Mario per longum tempus de pace concilianda frustra egisse; 2[o]. vocabulo illo *interea* [8]) non significari Marium per tempus quo de pace ageretur ultimam expeditionem incepisse, sed eum interim milites in hibernis collocasse; 3[o]. illam expeditionem [9]) duorum triumve mensium fuisse. Dein longius spatium praeteriisse videtur antequam concilium Cirtae haberetur, legati Romam proficiscerentur et Sulla iterum Bocchum adiret.

Sallustius [10]) „per idem tempus", quo Iugurtha a Sulla cap-

---

[1]) Mommsen Röm. Gesch. II, p. 153. — [2]) 97, 4; 100, 3. — [3]) 103, 4; 104, 2. — [4]) 109, 2. — [5]) Cfr. Sall. 37, 3 cum 39, 3. — [6]) 39, 2, 4; Etiam Velleius (II, 12, 2) et Eutropius (V, 1, 1) Caepionem in provincia *consulem* dicunt, cum *proconsul* esset; (Liv. ep. 67; Oros. V, 16, 1). — [7]) supra p. 53. — [8]) 103, 1. — [9]) supra p. 64 sub B 5. — [10]) 114, 1.

tus sit, adversum Gallos a Q. Caepione et Cn. Manlio consulibus ad Rhodanum flumen male pugnatum esse narrat. Ut ex Plutarchi Vitae Luculli capite vicesimo septimo cognoscitur, id proelium factum est pridie Nonas Octobres anni 105[i] secundum rationem Kalendarii Romani. Itaque verba illa „per idem tempus" non nimis premenda sunt; nam mense Octobri iam aliquod tempus praeterierat ex quo Iugurtha captus est. Fischer vero v. cl. illud „per idem tempus" spatium viginti mensium significare posse arbitratur [1]), et hoc etiam eum praeteriit quod fieri non potuit, ut Marius post Iugurtham captum — quo facto bellum confectum erat — diutius, nedum viginti menses in provincia ubi nihil ei faciendum supererat maneret. Accedit quod Sallustius tantum spatium, quo nihil actum esset, verbo saltem significaturus fuisset. Opinio tandem, Iugurtham vere anni 106[i] captum esse, a Sallustio ipso penitus refutatur narrante [2]): „postquam bel„lum in Numidia confectum et Iugurtham Romam adduci „nuntiatum est, Marium absentem consulem esse factum"; unde apparet, regem non in Africa retentum esse dum Marius Romam proficisceretur, sed statim postquam traditus est in urbem praemissum, quod ante ipsa comitia habita factum est: mense igitur Iunio anni 105[i] captus medio mense insequenti Romam adductus est. Quae cum omnia constent, nihil restat quam ut auctore Ihnio v. cl. hiemem anni 107/6 inter caput 91[um] et 92[um] inseramus.

Id tantum explicandum superest qui factum sit, ut Sulla tam sero, non ante autumnum anni 106[i], in Marii castra veniret neque expeditioni, quam hic vere anni 106[i] per Numidiam Occidentalem suscepit, adesset, ut plus quam annum ex quo Quaestor factus est in Italia moraretur. Cum apud auctores altum de ea re silentium sit, incertum est quo modo hoc explicetur. Si coniectura aliquid assequendum est, haec

---

[1]) Fischer Zeittaf. p. 161: „Der Ausdruck Sallust's „per idem tempus" „ist nicht im eigentlichen Wortsinne zu verstehen, da Jugurtha's Ge„fangennehmung im Anfang d. J. 648 stattfand, Caepio's Niederlage „aber sich am 6ten October d. J. 649, also etwa 20 Monate später, „ereignete". — [2]) 114, 3.

statuere lubet. Constat Sullam Mario consule quaestura functum esse; nam hic illi negotium quoddam mandavit [1]). Sed causa cur illum non statim in Africa secum abire iusserit ex Valerio Maximo fortasse petenda est, qui „Marium moleste „tulisse" ait [2]) „quod sibi asperrimum in Africa bellum ge„renti tam delicatus Quaestor sorte obvenisset" [3]). Consul igitur moram quaesivit ut Sulla, si fieri potuit, tum demum in Africam veniret, cum bellum iam confectum esset, quod se duce mox fore antea his verbis gloriatus est: „dimidia pars „exercitus si mihi permittitur, paucis diebus Iugurtham in catenis habebo" [4]). Idem suadet genus ipsum negotii, quod Quaestori mandavit. Nam licet pro se tulisset se *„cum dimi„dia parte exercitus"* bellum quam celerrime confecturum, tamen Quaestori imperavit ut *magno* equitatu ex Latio et a sociis congesto in castra ad se veniret [5]); at id ipsum optime intellexit, tale negotium maximae morae futurum.

D. De eis, quae ab aliis auctoribus memoriae prodita sunt et de fonte e quo Sallustius res gestas hauserit.

Perpauci sunt scriptores, qui cum Sallustio comparati de hoc tempore rem alicuius momenti afferunt. **Plutarchus** [6]) ne verbum quidem de Marii rebus gestis fecit et quae de Sulla litteris mandavit, nimis illa angusta, prorsus cum Sallustio consentiunt. Quod dicit [7]): „(*Σύλλας*) *ἀποδειχθεὶς „ταμίας ὑπατεύοντι Μαρίῳ . . . συνεξέπλευσεν εἰς Λιβύην*", non est propria eius a Sallustio distans opinio, sed errore quodamc alami pro *ἐξέπλευσεν* id quod est *συνεξέπλευσεν* scripsisse videtur. Quod nullius sane momenti est; nam Plutarchus ne id quidem, eos una profectos esse significare voluit, ut intellegitur ex his verbis: „*γενόμενος δ' ἐπὶ στρατοπέδου*". Gravior est discrepantia, qua mox offendimur, cum ita scriptum sit: „*πρεσβευτὰς γὰρ αὐτοῦ* (Bocchi) *λῃστήριον Νομά-*

---

[1]) 95, 1; Plut. Sulla 3. — [2]) Val. Max. VI, 9, 6. — [3]) Cfr. Sall. 96, 1 „Sulla rudis antea et ignarus belli". — [4]) Sall. 64, 5. — [5]) 95, 1. — [6]) Plut. Mar. 10; Sulla 3. — [7]) l. c. init.

„δικον [1]) ἐκφυγόντας ὑποδεξάμενος καὶ φιλοφρονηθεὶς „δῶρα καὶ πομπὴν ἀσφαλῆ παρασχὼν ἀπέστειλεν." E Sallustio Sullam legatos non a se dimisisse sed eos secum Uticae retinuisse et post quadraginta dies una cum eis Cirtam ad Marium profectum esse iam cognovimus [2]). Sed et hoc loco errorem Plutarchi deprendimus. Sallustii verba: „dein Sulla „omnia pollicito, docti quo modo apud Marium item apud „senatum verba facerent" [3]), illum festinanter legentem in eum errorem induxerunt, ut putaret legatos a Sulla dimissos esse.

Velleius [4]) de eis rebus non plura disputavit, neque epitome 66ª Livii nos certiores facit, neque magis **Florus** [5]) res a Sallustio discrepantes prodidit. Breviter dolum attigit quo castellum, ad Muluccham flumen situm, captum est, Liguris militis, de quo Sallustius copiosissime dixit, mentionem iniecit, proelium, quo ad Cirtam adversus Iugurtham et Bocchum certatum est, persecutus est, Livii auctoris indicium dat his verbis: „non ipsum (Iugurtham) „modo sed Bocchum *quoque*, „Mauretaniae regem, graviter cecidit", nam in epitome Livii ita scriptum est: „caesis proelio Bocchi *quoque* copiis" [6]). Ceterum ea **epitome** nihil affert quod memoratu dignum est. **Orosius** ut Sallustius duorum certaminum mentionem fecit; prius copiosius sed aliter atque Sallustius persecutus [7]) plura, ut iam videbimus aliunde ignota, de ea disputavit. De altero quod, aliis verbis atque Sallustius [8]) usus, paucis explicavit [9]) narrat ingentem caedem hostium factam esse, addito, quod Sallustius non tradidit, nonaginta milia hostium caesos, quod, ut veri simillimum est, ex Livio desumsit.

Diodorus, qui, ut supra diximus [10]), Appiani narrationi propinqua prodidit, verbo tradidit, Bocchum cum Mario egisse. Sed cum Sallustius auctor sit senatum Boccho respondisse in

---

[1]) Gaetulos Latrones „Νομαδικὸν λῃστήριον" dixit. — [2]) p. 64 sub **5**. — [3]) 103, 5, 7. — [4]) Vell. II, 12, 1. — [5]) Flor. III, 1, 14. — [6]) Afferre etiam possumus Eutropii verba (IV, 27, 4) „is (Marius) Iugur„tham et Bocchum, Mauretaniae regem . . . *pariter* superavit". — [7]) Oros. V, 15, 10—18; cfr. Sall. 97, 3—100, 1. — [8]) 101, 11. — [9]) Oros. V, 18, 18. — [10]) Supra p. 50.

hanc sententiam: „foedus et amicitia dabuntur cum meruerit" [1]), magnopere Diodorus ab eo discrepat narrans senatum rem decernendam Mario reliquisse „ἡ δὲ σύγκλητος" ait „αὐτοῖς (legatis) ἀπόκρισιν ἔδωκεν ἁπάντων τεύξεσθαι τῶν φιλανθρώπων τὸν Βόκχον ἐὰν Μάριον πείσῃ"; sed utrumque coniungere licet; nam dubitari non potest quin Mario a senatu licentia decernendi concessa sit. Verum Diodorus id studuisse videtur, ut ex scriptione sua luculenter appareret Marium imprimis, non Sullam, bellum confecisse.

Appiani narratio [2]) ab altera parte cum Sallustii maxime convenit, ab altera summa differentia ab eo seiungitur. Uterque prioris legationis Sullae ad Bocchum mentionem iniecit. Apud Sallustium Sulla verba facere incipit [3]), quod Appianus omisit. Verba, quibus Appiano auctore Bocchus usus esse fertur, eadem sunt quae Sallustius prodit. Dein sequuntur apud Appianum ea quae alter legatus Aulus Manlius Sulla tacente respondit, cum id ipsum Sallustius significaverit Sullam solum apud regem locutum esse, Manlio non aetati sed facundiae eius concedente [4]). Apud Appianum Manlius argumentatur Bocchum Numidiam Occidentalem iniuria sibi ascire, quod Romani eam regionem a Syphace captam Massinissae dono dedissent, eiusmodi autem munus tamdiu modo valere quamdiu senatui populoque placeret, quam ob rem Bocchus hanc terram ut Iugurthae adimeret fieri non potuisset.

Appianus capite quinto narrat, quod etiam apud Sallustium est, quinque legatos Bocchi a latronibus aspere tractatos a Sulla bene exceptos esse, absente Mario, de cuius extrema expeditione hieme anni 106/5 in Gaetulos facta hoc loco optime et rectissime agitur. Prorsus novum est quod Appianus deinde prodit, Bocchum consilio Iugurthae tradendi iam capto exercitum dimisisse in expeditionem adversus Aethiopas, (qui regionem patentem a regno eius inter meridiem et occidentem usque ad Mauros saltus, quorum nomen Atlas nunc est, incoluerunt), „ἐς ὑπόκρισιν" i. e. specie quadam ut libere arbitrisque remotis ageret et Romanis tamquam pignus benevoli

---

[1]) 104, 5. — [2]) App. Num. 4, 5. — [3]) Sall. 102, 4—12. — [4]) 102, 4.

erga eos animi daret, et deinde a Mario petiisse ut Sullam ad se mitteret. De eis quae hic cum Boccho egit perpauca Appiani aetatem tulerunt; mentio apud eum fit Asparis Iugurthae amici, qui apud Sallustium quoque occurrit, Magdalsis Bocchi socii [1]) et tandem Carthaginiensis liberti Cornelii, quem Sallustius silentio tegit [2]).

Apparet igitur Appianum quaedam desumpta e fonte vel, ut veri similius est, e pluribus fontibus quibus Sallustius usus non est, servasse; hi auctores de aliis rebus aliter, de aliis fusius quam Sallustius egerunt; quod non quidem de prima differentia valet, quae est de Bocchi et Sullae Manliique, legatorum Romanorum, colloquio. Ea discrepantia profecto parvi facienda est. Huius rei una tantum genuina narratio exstare potuit, et ea quidem quam Sulla Commentariis consignavit, alia, ut Appiani, propria et genuina esse nequit; verisimile est eam factam vel potius consulto fictam esse a maligno auctore, qui, Sullae Commentariis inspectis suo arbitrio et eo consilio ut merita eius in quem odium susceperat reprimeret, res immutavit. Ob eam causam is non Sullam sed Manlium disputantem fecit; eo, quod apud utrumque verba Boc-

---

[1]) Supra p. 53 annot. 6. — [2]) Steringa Kuyper v. cl. (in dissertatione „de Fontibus Plutarchi et Appiani in Vita Sullae enarranda" Traiect. ad Rhen. 1882 p. 12—14) eis quae apud Appianum sunt cum Sallustii narratione comparatis, quinque res tamquam differentias distinxit, in quibus tamen sunt quae inter se non discrepent. Eo auctore (p. 14) Appianus dicit simpliciter: „*τοῦ Μαρίου ἐς Κίρταν ἀφικομένου*", Sallustius vero: „Marium *intendisse* proficisci Cirtam", sed is re vera etiam dicit Marium *pervenisse* in oppidum Cirtam (102, 1). Eo auctore Appianus narrat „*Μαρίου ἀφικομένου πρεσβεῖς παρῆσαν*", Sallustius vero: „post diem quintum legati venerunt"; at haec nulla sane discrepantia est, si Appianus *minora* Sallustio litteris mandavit, quod Sallustius verbis: „post diem quintum" haec adiecit: „quam iterum barbari male „pugnaverant", sed non „quam Marius Cirtam pervenit". In hac re tandem alterum ab altero differre putat v. d. quod Appianus dicit: „*οἱ Μαρίου „μὲν ἔμελλον δεήσεσθαι*", Sallustius: „eos *ad Marium ac deinde*, si „placeat *Romam* legatos ire iubet, agundarum rerum et quocumque „modo bellum componundi licentiam ipsis permittit". At neque hoc loco Appianus quicquam habet, quod non apud Sallustium sit. Eas vero differentias, de quibus supra disputavimus, v. d. non animadvertit.

chi eadem sunt, fraudem ostendit. Invidia illa, quam auctor Appiani in Sullam exercuit, cum odio adversus Metellum, quod in Appiano supra observavimus, optime convenit [1]). Hic manum deprehendimus popularis cuiusdam Romanorum annalium scriptoris, qui ante Livium fuit, species eruditionis, quae inest in verbis Manlio attributis, tali auctori valde apta est. Quod ad reliqua pertinet Appianus rerum gravissimarum, quas Sallustius omisit, mentionem iniecit.

Extremam Marii expeditionem adversus Gaetulos susceptam fuisse sine dubio ab auctore quodam deducitur, quem Marii res gestas sedulo persecutum Sallustius fortasse cognovit quidem, sed in his rebus conscribendis certe non adhibuit. Quae Appianus proxima addidit, expeditionem a Boccho adversus Aethiopas missam, nomina Magdalsae et Cornelii, ea profecto non e Sullae libris manaverunt, sed narrationem Sullae, quae est apud Sallustium, rectissime supplent. Unde illa sua sumserit ignoratur, sed supra iam coniectura collegimus earum rerum Iubae 'Λιβυκά' fontem fuisse [2]). Sallustius, qui alibi permultas res gestas brevissime et summatim explicat, qui ampla temporis spatia paucissimis absolvit, de hac parte belli multo maiore prolixitate quam de aliis egit. Res, quae prima ab eo pragmatice narratur, est Capsae expugnatio, autumno anni 107[1] facta [3]), cui neque Rutilius testis aderat, cum iam ex Africa profectus esset, neque Sulla, cum nondum eo advenisset. Prolixitas, qua Sallustius in ea re narranda usus est, documento est, eum praeter Rutilii et Sullae Commentarios ab auctore quodam nonnulla deduxisse, qui Marii res gestas persecutus est.

Eiusmodi auctoris supra quoque apud Appianum [4]) vestigia quaedam invenimus et verisimile est narrationem Livii, nobis quidem ignotam, sed e qua descriptionem illius pugnae, quae anno 106[0] facta est, apud Orosium exstanten manasse putavimus [5]), pro magna parte ex eodem deductam esse [6]). Ab

---

[1]) Supra p. 37 . — [2]) Supra p. 45 et annot. prim. De Iuba cfr. Müller Fragm. Hist. Graec. III p. 465—484. — [3]) Sall. 89, 4—92, 1; supra p. 55. — [4]) vide pag. superiorem. — [5]) Supra p. 69. — [6]) Notitia, pro conditore Capsae Herculem Africanum habitum fuisse, non apud Sallu-

eo rerum scriptore Marium, ut videtur, debita laude sedulo ornatum esse argumento sunt haec Sallustii verba „sed Marius „impigre prudenterque suorum et hostium res pariter atten„dere . . ." e. q. s. [1]); dein mox [2]) nefanda perfidia, qua is in urbem Capsam usus est, rei utilitate excusatur; postremo: „Marius", ait, „. . . magnus et clarus antea maior atque „clarior haberi coepit . . ." e. q. s. Accedunt haec Orosii verba: „tandem Marius consul forti desperatione spei viam „fecit" [3]). Alterum Marii factum a Sallustio pragmatice proditum, expugnatio castelli ad Mulucchaṁ siti [4]), ad eundem auctorem fortasse reducendum est.

At id meminisse debemus, Sullam ipsum extremae oppugnationi interfuisse, situm castelli, laborem Liguris militis, quod caput narrationis est, testem oculatum cognovisse, ut eae res aeque bene ex eius Commentariis provenisse possint. Deinde quod ad Sallustii narrationem pertinet, observandum est eum illum fontem, quo Marii res gestae continebantur, postquam praeter oppugnationem Capsae et expugnationem castelli nihil aliud ex eo hausit, iamiam neglexisse et tandem alii auctori totum se dedisse, ita ut res a Mario gestae sensim paulatimque reprimerentur. Iam ea, quae Marius vere anni 107 gessit, (pugnam ad Cirtam factam [5]), expugnationem multorum oppidorum [6])), uberius explicare omisit, de tota hieme anni 107/6 ne verbum quidem fecit. Difficilem irruptionem, quam Marius anno 106⁰ in Numidiam Occidentalem fecit [7]), tam paucis et obscuris absolvit, ut momentum eius rei vix agnoscatur [8]). Adversus quosnam proxima expeditio Marii, facta mense Ianuario anni 105¹, suscepta sit [9]), ne operae quidem duxit Sallustius diligenter narrare [10]), quamquam Appianus id sedulo fecit. Marium aestate anni 105¹ res Africae ordinasse, Numidiam Occidentalem Boccho concessisse, in Italiam rediisse, post triumphum actum Iugurtham interfici

---

stium tantum, sed etiam apud Florum (III, 1, 14) et Orosium (V, 15, 8) invenitur, quem utrumque eas res non ex illo desumsisse probabile est. — [1]) 88, 2. — [2]) 91, 4—7. — [3]) Oros. V, 15, 14. — [4]) Sall. 92, 5–95, 1. — [5]) 88, 3. — [6]) 89, 1; supra p. 54. — [7]) 92, 3. — [8]) Supra p. 63 annot. 3. — [9]) 103, 1; 104, 1. — [10]) Vide supra p. 63. et 64.

iussisse, — haec omnia prorsus praeteriit Sallustius. Contra extrema operis parte nihil aliud continetur nisi res ex alio libro desumptae, cui totum se dedit. Eum librum fuisse Sullae Commentarios et eam partem Sullae operis — nostra quidem sententia — quod ad formam attinet rhetorice amplificatam, sed quod ad res attinet accurate relatam, extremis Sallustii capitibus [1]) contineri, iam hic illic supra apparuit; nonnulla pluribus verbis persequi lubet.

Initium sumamus a pugna illa, quae autumno anni 106 in receptu Cirtam facta est. Utraque eius proelii descriptio et ea quam ab Orosio et ea quam a Sallustio cognovimus, magnis lacunis laborat. Sed operae pretium est eas inter se comparare, cum levia indicia praebeant e quibus intellegitur *de eisdem rebus* agi, et alterum scriptorem longe alio modo atque alterum de eadem re, quae vere facta est, dixisse. Vitium Orosii *auctori* (Livio) fortasse minus tribuendum est quam illi ipsi, qui suo arbitrio alias res copiosius explicavit, alias et eas gravissimas silentio tegit. Is de priore pugna tantum et id quidem parum plene disputavit; Sallustius peccavit cum nonnullas res rhetorice in maius augeret, quas e Sullae narratione ipsa, ut videtur iam parum plena, hauserat, ita ut gravi iudicio, quod Ihne v. cl. [2]) de eo tulit, dignissimus sit. Veluti Romanos in duobus collibus obsessos luce orta necopinato per medios hostes perrumpere conatos esse, his verbis describit [3]). „Deinde . . . . defessis iam hostibus ac „paulo ante somno captis, de improviso vigiles, item cohortium, „turmarum legionum, tubicines simul omnes signa canere, „milites clamorem tollere atque portas erumpere. Mauri atque „Gaetuli, ignoto et horribili sonitu repente exciti, neque fugere „neque arma capere neque omnino facere aut providere quic„quam poterant". Recte Ihne v. cl. his adscribit: „Dieses ist „baarer Unsinn. Aber was war der wirkliche Vorgang?"

Ineptia illa ei rei tribuenda esse videtur quod Sallustius verbum Sullae, quo hostes subito impetu Romanorum praeoccupatos esse significavit, rhetorice auxit; sed cum neque

---

[1]) c. 95—114. — [2]) Ihne Röm. Gesch. V, p. 160 annot. 1. — [3]) Sall. 99, 1.

Sulla ea, quae revera facta sunt, satis accurate memoriae tradidisset, bene factum est quod ex Orosio haec efficere nobis licet, Romanos non semel sed bis, duobus deinceps diebus, talem eruptionem periclitatos, priore die *propulsos* esse, altero multis laboribus periculisque exhaustos, perrupisse. Ad utrum diem Sullae narratio, impetum, quem Romani vel potius ipse cum equitibus suis fecit, improvisum initio hostibus accidisse, referenda sit, non liquet. Quocumque modo res se habet, eruptio illa praeclara Romanis non multum profuit. Eodem modo, quod Sallustius in fine prioris pugnae, quae Romanis minime secunda fuit, scribit: „plures eo proelio quam omni„bus superioribus adempti", est rhetorica amplificatio, sed cum reputaveris numeros hostium plerisque proeliis, quibus Romani ad id tempus Numidas vicerunt, occisorum vulgo perexiguum fuisse et minores numeros quam Romanorum occisorum, ea amplificatio re vera non tam magna est quam primo obtutu esse videatur [1]). Utramque descriptionem in unum conspectum componemus.

Orosius ad rem conscribendam aggressus, narrans [2]) Romanos Cirtam expugnaturos fuisse, gravis erroris coarguit Sallustium, ut supra ostendimus [3]).

Sall. c. **97**, **3**. Hostes (secundum Orosium sexaginta milia equitum, secundum Sallustium equites tantum Maurorum et Gaetulorum [4])) brevi ante solis occasum Romanos aggrediuntur; his nulla potestas fit aciem instruendi, sarcinas colligendi, signum aut aliud imperium dandi. Tumultuario imperio confligitur [5]) primo catervatim, loco quo quisque forte erat pugnatur, sensim tamen globis factis hostium vis sustinetur. Marius [6]) neque territus neque animo demisso passim per globos cum cohorte praetoria vagatur, ut quantum fieri potest laborantibus succurrat. Coelo vesperascente [7]) impetus intenditur. (Orosius quoque [8]) tenebrarum, quae Romanis diem ademerunt, mentione facta, causas tantum dicit quae, ut necesse erat, eis impedimento fuerunt, pulverem suscitatum

---

[1]) Exempli causa ad caput 54, 5 relegamus. — [2]) Oros. V, 15, 10. — [3]) supra p. 58. — [4]) 99, 2. — [5]) 99, 5. — [6]) 98, 1. — [7]) 98, 2. — [8]) Oros. V, 15, 11.

ab equitibus, nimbum telorum hostium; dein narrat Romanos non bene locatos fuisse, ut hostibus nullius laboris esset mediam aciem perrumpere).

C. **98, 3**, sq. Marius cum suis duos colles inter se propinquos occupat, quorum in altero, humili et parum amplo, fons aquae magnus erat, hunc Sullam cum equitatu occupare iubet, in altero, editiore et tutiore, peditibus consistere imperat, ipse sub hoc imo colle, dum omnes se contrahant, moratur: „dispersos milites", ait Sallustius, „. . . . *in unum* con„trahit", et pleno gradu in clivum subducit. (Orosius, nulla collium mentione iniecta, tamen narrat [1]): „*coactos in unum* „Romanos pedites densari". Et Marium quoque mox apud eum non iam in campo, sed in colle esse apparet ex his, quae de tertio proelii die prodidit [2]): „Marius prorupit in „vallo *campoque* sese simul et proelio dedit").

C. **98, 5**. Itaque Romani castris in ampliore tumulo collocatis, primam noctem in eis collibus degunt, „hostes utroque „colle multitudine circumdato effusi consedere." Dein Sallustius ita fere narrare pergit: Marius illa nocte ut hostes incautos redderet quam maximum silentium haberi iubet et, ubi illuxit, omnibus classicis canentibus, subita eruptione hostibus ex improviso oppressis, collem reliquit. Id non solum — ut supra disputatum est, — a Sallustio stulte narratum est, accedit exitus quoque, qui longe alius fuit atque is tradidit. Romani illo die per medios hostes, qui ipsos in obsidione tenebant, perrumpere frustra conati sunt; eis repulsis iniquo loco obsessis et circumventis etiam insequens nox degenda erat. Apparet ex Orosio [3]) „eadem postera die et belli et „periculi facies: erumpere in hostem quamvis stricto miles „gladio non valebat . . . . iam tertia die nullum undecumque „suffragium, dira undique mortis facies obiciebatur".

Quid de Sulla Commentarios conscribente cogitandum est? illumne illius diei et noctis plenae metus et periculorum immemorem fuisse? an operae pretium non duxisse, ut diligenter ac vere de ea re diceret? sed rerum bene gestarum tantum,

---

[1]) Oros. V, 15, 12. — [2]) § 14. — [3]) § § 13 et 14. —

quarum dii boni bonum exitum Romanis, se „Sulla *felice*" una proeliante, concesserunt", memoriam servasse?

Deinde Orosius Marium statuisse narrat, tertio die rebus desperatis quocumque modo per mediam hostium aciem perrumpere: „prorupit", ait, „et vallo et *campo* se dedit simul „et proelio", unde perspicuum est eum de colle descendisse. Fieri potest ut narratio, quam Sulla de subita Marii eruptione confecit, referenda sit non ad alterum, sed huc ad tertium diem. Neque tunc res Mario prospere cessisset, sed Romani ad internecionem deleti essent, nisi maximi imbres, quales in terris sub caloribus iacentibus e nubibus effunduntur, repente rerum statum mutassent. Imbres recreantes Romanos hostibus nocuerunt, quod aqua hastilia telorum, quae sine amentis manu extorquebantur, lubrica et inutilia reddidit et quod scuta ex elephanti corio facta aquam bibentia repentino pondere intractabilia facta sunt. Res Mario bene cessit, Romani hostem superaverunt, pauci fugerunt, plurimi, plures quam omnibus superioribus proeliis, ceciderunt. Plura Orosius non tradidit, de altero proelio tantum narrat, nonaginta millia hostium in Romanos arma tulisse.

Quomodo factum sit, ut numerus armatorum adeo auctus sit, Sallustius explicat; hostibus enim quibus primo equites modo fuerant, Volux, Bocchi filius, pedestres copias adiecit, quod ipsum virum clarissimum Ihnium fefellit [1]). Hostis, copiis eo modo auctis primo per quatuor dies Romanos secutus denuo gradum in eum infert. In descriptione alterius proelii, quam Sallustius fecit, Sulla ipse in tanta luce versatur, ut iam inde perspicuum sit illum ex huius Commentariis sua hausisse: supra eodem argumento in Rutilium usi sumus.

C. **100, 2.** Marius nullo studio et industria intermissis iter continuat, dextro lateri Sulla equitatui, sinistro funditoribus et sagittariis Manlius praeest, tribuni militum primo et novissimo agminibus praefecti sunt. (Sallustius hac occasione [2]) utitur inserendi quaedam de Marii more, qui ipse cum militibus labores suscipiebat).

---

[1]) Ihne Röm. Gesch. V, p. 160 annot. 1. — [2]) Sall. 100, 5.

C. **101, 1—4.** Quarto die hostem adesse apparet, is ut Romanos ab omnibus simul partibus aggrederetur et interea [1]) cum peditibus, quos Velox adduxit, eorum agmen equitibus nudum deleret, equitatum suum in partes quatuor distribuerat; Marius gradum sistit.

C. **101, 6.** Quamquam acies prima, cui ipse Marius praeest, maxime ab hostium equitatu, quem Iugurtha ipse ducit, vexatur, id tantum [2]) quod Sulla, quem primum hostium equites petunt, fecit, narratur, additurque eum suos monuisse, eum prudenter et scienter equites suos continuisse et quam maxime confertis equis adversos hostes invasisse; sed alios, Marium in acie prima, Manlium sinistro cornu, idem fecisse verbo *„aliique"* tantum significatur. Dum proelium equestre fit, copiae quas Volux adduxerat, Boccho ipso duce, agmen Romanum et quidem postremam aciem adversi appropinquantes invadunt. Hoc loco alacri peditum certamine pugnatur, de quo apud Sallustium paucissima; id modo prodit [3]) Romanos tandem in eo fuisse ut profligarentur: legiones iam loco cedunt [4]).

Causa eius discriminis ea tantum traditur, Iugurtham postquam e certamine cum Mario in acie prima conserto eruperit, „clam cum paucis ad pedites (Romanos) convertisse et se „paulo ante Marium sua manu interfecisse Latine exclamasse". Inde effici potest Mario non prospere cessisse proelium cum hostium equitibus, qui in acie prima erant, Iugurtham ipsum cum paucis equitibus eum praetervectum ad aciem mediam perrupisse, quo factum ut pedites Romani, cum Bocchus novissimos premeret et ipsi ab altera parte quoque a Iugurthae equitibus vexarentur, intellegerent, Marium cecidisse: id ipsum ut Iugurtha exclamaverit fieri potest, sed absurdum erat ei rei soli totum pugnae discrimen attribuere.

C. **101, 8.** Sed in hoc ipso articulo temporis Sulla opem et salutem affert. Equitibus, qui dextrum latus aggressi erant, profligatis, in obliquos proeliantes copias adversus earum impetum reprimit. Quo facto Romani se colligunt [5]), Iugurtha, ab acie repulsus, omnibus, qui eum secuti erant occisis,

---

[1]) l. c. — [2]) § 4. — [3]) § 7. — [4]) § 6. — [5]) § 7.

vix in fugam se confert [1]), Marius nunc quoque equestri proelio superior factus ad suos se recipit, Romani victores discedunt; caedes, quam fugientium hostium edunt, rhetorice ornatur.

Hae pugnarum descriptiones a Sulla factae eisdem vitiis laborant quibus auctores, qui res a se gestas conscripserunt, in commentariis peccare solent; hi res mancas, lacunosas, ab una tantum parte spectatas litteris mandant; ea tantum recte conscribere valent, quibus ipsi interfuerunt; aliorum rebus leviter modo et quoad fama et rumore eas assequi poterant, perstrictis.

De reliquis rebus, quas Sallustius e Sullae Commentariis sumsit [2]), priorem legationem Sullae ad Bocchum profectam [3]), Bocchi legatos Uticae a Sulla receptos [4]), concilium Cirtae habitum, cui Sulla affuit [5]), eum iterum Bocchum adiisse et Iugurtham traditum esse, de his omnibus nihil addendum esse videtur. Dein [6]) ad id praecipue animus legentis advertitur, quod concilium non nisi ea, quae Sullae placuissent, reiectis aliorum sententiis, decrevisse. Harum omnium rerum Sullam auctorem esse ex ea re inprimis perspicuum est, quod is continuo primas partes agit, et quod multa narrantur, quae ei soli, non alii, cognita esse potuerunt. Unum de quo forte dubitari potest, hoc est: num iure statuere liceat ea, quae capite 96° continentur, ex eius Commentariis desumpta esse. Hoc capite narratur Sulla primo „rudis antea et ignarus belli" brevi „sollertissimus omnium" factus esse, benignitate, liberalitate, studio et industria „sine prava ambitione" neque consulis neque cuiusquam boni fama laesa, tantummodo cavens, ne quis consilio aut manu ipso prior esset, mox inter primos habitus et his artibus „brevi Mario militibusque carissimus factus esse".

Credamusne Sullam talibus verbis de se locutum esse? Nostra quidem sententia ipse is erat, qui de se ita scriberet, non vana praedicatione se iactans, sed ante omnia amore sui perductus ut operam daret, ut ei qui Commentarios eius legerent rectissime de ipso iudicarent. Eum profecto in libris

---

[1]) § 10. - [2]) c. 102. — [3]) c. 103. — [4]) c. 104. — [5]) c. 105—114 — [6]) 104, 2.

suis de se et de Mario deque primis inimicitiis, quae sibi cum eo intercesserunt, verissime scripsisse e Plutarcho constat [1]), illius rebus, quas Catuli legatus anno 102^0 gessit, memoratis, Plutarchus illius verba laudavit: „ἐφ' ᾧ φησιν „αὐτός", ait „ἰσχυρῶς ἀνιᾶσαι τὸν Μάριον".

Ea quoque ad Sullae Commentarios referenda esse videntur, quae Plutarchus in eodem capite scripsit, Sullam, postquam anno 104^0 legatus sub Mario et 103^0 tribunus militum meruerit, exeunte anno hunc reliquisse: „τὸν Μάριον αἰσθόμενον „ἀχθόμενον αὐτῷ καὶ μηκέτι προιέμενον ἡδέως πραξεων „ἀφορμάς", cum animadverteret Marium moleste tulisse, ipsum utroque anno res bene gessisse. Deinde verba ab initio capitis repetita „ἠνία μὲν οὖν ταῦτα τὸν Μάριον" e Sullae libris desumpta esse videntur, Marium aegre passum esse, Sullam, quod anulum gestaret, in quo Iugurtha Sullae a Bocchо traditus incisus erat. Si igitur de crescentibus inimicitiis in Commentariis uberius dictum est, cum ea re convenit Sullam in eis disertis verbis respondisse, se initio, cum anno 106^0 in Africa esset, apud Marium in honore fuisse, et ostendisse quibus rebus quibusque artibus ut „Mario carissimus fieret", assecutus sit.

---

[1]) Plut. Sulla 4.

CAP. IV

DE REBUS BELLO CIMBRICO GESTIS ET DE EARUM FONTIBUS.

In Gallia Romani iam potestatem suam constituerant. Pars quaedam Galliae subiecta erat victoriis reportatis a M. Fulvio Flacco annis 125⁰ et 124⁰, a Q. Domitio Ahenobarbo anno 121⁰. Anno 124⁰ condita erat colonia Aquae Sextiae, a. 118⁰ colonia Narbo. Inde ab eo tempore provincia Romana in Gallia erat constituta. Haec ab Alpibus Maritimis usque ad Pyrenaeos montes et fontes Garumnae fluminis patebat.

His Romanorum possessionibus non statim periculum minabatur adventus Teutonum et Cimbrorum: hi populi primum Gallos adorti sunt longe ab imperii Romani finibus: „cum „terras eorum inundasset Oceanus, novas sedes toto orbe „quaerebant" [1]). Postquam Rhenum traducti [2]) in Galliam invaserunt, secundum Plutarchum trecenta milia militum expeditorum, comitante maiore multitudine liberorum mulierumque [3]), primum a Belgis solis propulsati sunt [4]); hinc ad alias gentes Gallicas se converterunt et longissime effusi omnia vexarunt. Sed pars eorum, Alpibus transmissis [5]), versus orientem profecta arma Noricis intentavit, ubi Romani

[1]) Flor. III, 3; cfr. Strabo II, 3, 6, p. 102 et VII, 2, 1, pag. 293. — [2]) Vell. II, 8, 3. — [3]) Plut. Mar. 11. — [4]) Caes. B. G. II, 4, 1; Strabo IV, 4, 3, p. 196. — [5]) Obseq. 98.

cum his peregrinis primum conflixerunt. Hoc factum est a. 113⁰ a. C.; „sexcentesimum et quadragesimum annum urbs „Roma agebat", ait Tacitus [1]), „cum primum Cimbrorum „audita sunt arma". Ab hoc anno incipientes res huius belli a diversis auctoribus traditas componemus et comparabimus.

Discrepant auctores de nomine gentis, quae in Noricum incursionem fecit. Sed maior numerus auctorum eidemque optimi, Livius et Tacitus, Cimbros solos nominant. Livius, qui solus hanc rem distincte et clare tractavit, diserte ostendit Teutonos a primo adventu ad annum 102um in Gallia mansisse neque ante hunc annum 102um Romanos cum Teutonis conflixisse; omnia proelia inter annos 113um et 102um ab his Germanis contra Romanos gesta ab eo referuntur ad Cimbros solos [2]). Eutropius [3]) cum dicit ad annum 113um: „nuntiatum Romae est Cimbros e Gallia in *Italiam* transisse", etiam spectat ad incursionem in Noricum factam et Cimbris eam rem tribuit; vocabula „in Italiam" eius errori et neglegentiae sunt imputanda. Velleius [4]) utrumque nomen coniungit hanc solam ob causam, quod his verbis totum bellum, non res anni 113i solas, amplectitur. Obsequens [5]) eodem modo errat et gravius etiam Florus [6]) iam ab initio admixto nomine Tigurinorum. Appianus vero scribit: „ὅτι τῶν Τευ-„τόνων μοῖρα λῃστεύουσα πολύανδρος ἐς τὴν γὴν τῶν Νο-„ρικῶν ἐξέβαλλεν." Sunt qui cogitent de errore Appiani [7]); sed verisimile est Appianum ita hoc Teutonorum nomen usurpasse, ut id ad totam turbam peregrinam referendum esse putaret. Dicit quidem eos, qui in Noricos incurrerent, fuisse Teutonos et in narratione sua saepius eos Teutonos nominat; sed cum dicit eos fuisse *partem* Teutonorum, affirmat reliquos, qui in Gallia mansissent, *etiam* fuisse Teutonos neque negat huic alteri parti, quae in Noricum profecta est,

---

[1]) Tac. Germ. 37. — [2]) Liv. ep. 63 (a. 113⁰); 65 (a. 109⁰); 67 (a. 105⁰); idem dicit ad annum 102um (cp. 67): „Cimbri ... reversi in Galliam ... „se cum Teutonis coniunxerunt." Apud Diodorum (35, 37) neutrum nomen servatum est. — [3]) Eutrop. IV, 25, 2. — [4]) Vell. II, 12, 2. — [5]) Obseq. 98. — [6]) Flor. III, 3, 1. — [7]) Steringa Kuyper, De fontibus Plut. et App. p. 15, adn. 5; cfr. Mommsen Röm. Gesch. II, p. 183 adnot.

fuisse insuper etiam proprium nomen (Cimbrorum scilicet), quamquam hoc nomen non addit. Appianus hos Teutonos, quos dicit „μοῖραν λῃστεύουσαν πολύανδρον", non minus a reliquis Teutonis distinguit quam Livius, qui eos dicit „Cim„bros populabundos, gentem vagam."

De origine nominis Cimbrorum aliquid e Plutarcho effici potest. Is dicit Germanos latrones, τοὺς λῃστάς, Cimbros nominare solere [1]). Itaque semper, quoties a magna multitudine peregrinantium agmen aliquod se separabat, ut longius vagans praedam faceret et deinde rursus cum ceteris se coniungeret, hi viri, qui ad tale agmen praedatorium coierant expeditionis alicuius faciendae gratia, Cimbrorum nomine insigniti esse videntur. Plutarchus ipse hoc confirmat vetere exemplo. Dicit Cimmerios illos, qui olim Graecis tam noti fuissent, qui a litoribus maris Euxini usque ad Mediam et Asiam Minorem vagantes penetrassent, ipsos quoque fuisse *partem* maioris agminis sub Lygdami duce ab illa maiore multitudine separatam „οὐ μέγα γενέσθαι τοῦ παντὸς μόριον, „φυγὴν ἢ στάσιν τινὰ βιασθεῖσαν ὑπὸ Σκυθῶν εἰς Ἀσίαν „ἀπὸ τῆς Μαιωτίδος." His igitur etiam inditum fuisse nomen Cimmeriis (Cimbris) bene convenit cum eo, quod de significatione huius nominis dixit Plutarchus. Neque minus convenit ratio, qua Livius et Appianus describunt Cimbros a° 113° in Noricum invadentes: „μοῖραν λῃστεύουσαν πολύανδρον", „populabundos, gentem vagam".

Origine igitur hoc nomen non erat proprium, sed quod ab omnibus Germanis aliquamdiu geri, deinde vero rursus deponi posset. Sed clarum est hoc nomen annis 113°—101um vim nominis proprii accepisse, siquidem semper eidem hi erant, qui saepius a maiore multitudine separati nunc huc nunc illuc vagantes procederent, nunc in Noricum, postea in provinciam Narbonensem, inde in Hispaniam invadentes et praedam quaerentes.

Cimbri igitur cum anno 113° in Noricum venirent, Carbo Consul in Illyrico erat cum exercitu, qui veritus ne in Italiam irrumperent, saltus Iulios inter Aquileiam urbem et Savum

[1]) Plut. Mar. 11; cfr. Posidonius apud Strab., pag. 102a et 293a.

flumen occupavit. Sed a barbaris non lacessitus contra eos profectus est, quod Noricos, amicos populi Romani diripuissent. Illi legatis missis Consulem certiorem fecerunt se illius amicitiae ignaros incursionem fecisse, sed in posterum a Noricis se abstenturos esse. Consul, legatis magno circuitu abire iussis, ex improviso apud Noreiam urbem hostes aggressus, magna clade accepta fugae se dedit; tempestate cum fragore tonitruum coorta proelium diremit, ita ut tertio die demum Romani se colligerent. Barbari, quamquam iter in Italiam eis patefactum erat, Italia omissa in Galliam revertuntur.

Inde factum est ut peregrini, qui proximis annis Galliam peragrantes popularentur, non Teutoni soli essent, sed Cimbri et Teutoni. Utroque nomine coniuncto semper utitur Caesar, cum de ea re agit. Non solum id facit eo loco, ubi dicit peregrinos illos „impedimentis suis quae secum agere ac portare non poterant citra flumen Rhenum depositis, custodiam „ex suis ac praesidium sex milia hominum una reliquisse" et ex hoc praesidio, cum ex eo loco numquam decessisset, postea ortam esse gentem Aduaticorum locumque munitum ipsum factum esse Aduatucam [1]): haec verba Caesaris etiam ad primum adventum barbarorum pertinere clarum est et ad id tempus, cum barbari a Belgis repulsarentur; tum re vera Cimbri se nondum a Teutonis separaverant. Sed etiam de rebus postea gestis agens Caesar semper utrosque nominat; quod ostendit Cimbros tunc e Norico reversos se rursus cum Teutonis coniunxisse. Sic dicit „Cimbros Teutonosque" omnem Galliam occupavisse [2]) et vexavisse [3]); cladis et miseriae, quibus hi latrones Gallias affecerunt, descriptionem dedit Caesar in oratione Critognati: „maiores nostri in oppida compulsi „ac simili inopia subiecti eorum corporibus, qui aetate ad „bellum inutiles videbantur, vitam toleraverunt". [4])

His rebus igitur occupati barbari aliquamdiu a Romanis lacessendis abstinuerunt; nempe quamdiu Gallia satis praedae eis praebebat, annis 112^{0}—109um. Sed anno 109^{0} hostes, Gallia peragrata, ad fines ipsius provinciae Romanae pervenerunt [5]).

---

[1]) Caes. B. G. II, 29, 3. — [2]) Ibid. I, 33, 4. — [3]) Ibid. II, 4, 2; I, 40, 5. — [4]) Ibid. VII, 77, 12—14. — [5]) Ibid. I, 40, 5.

Iterum Cimbri soli tum fuerunt, non vero Teutoni, qui primum agmen tenentes et ad vagandum multo magis propensi quam illi, possessionibus Romanorum hoc periculum minitarentur; iterum igitur tum Cimbri a Teutonis se separasse videntur [1]). Provinciam ut tueretur M. Iunius Silanus cum exercitu aderat. Ad eum barbari miserunt qui peterent, ut aliquid terrae et sedes sibi darentur, pro quibus se manibus atque armis populum Romanum adiuturos esse polliciti sunt [2]). Consul re negata ultro eos adortus gravi clade affectus est. Silanus postea a Domitio apud populum accusatus est quod iniussu populi bellum suscepisset [3]); apparet igitur hunc Consulem arma extra provinciam tulisse et adortum esse Cimbros antequam hi fines provinciae intrassent. Post victoriam reportatam legati Cimbrorum eadem petituri senatum adierunt [4]); is, licet omnium Romanorum animos trepidatio incessisset, etiam preces eorum aspernatus est. In gravem errorem incidit Eutropius, cum narret Romanos hoc anno victoriam reportavisse.

Iterum per aliquot annos de hostibus Germanis silentium est apud auctores; interea anno 107° primum Tigurini contra Romanos pugnaverunt. Tigurini erant pagus Helvetiorum, de quatuor eorum pagis unus habitans in occidentali parte Helvetiae sub Iura monte inter lacus Neocomensem et Lemannum. Hunc populum domo exisse, a civitate sua decessisse, aiunt Livius et Caesar [5]). Verisimile est eos a barbaris Germanis, quibuscum postea se coniunxerunt, excitatos novas sedes quaesivisse. Orosius, qui uberius quam reliqui scriptores nobis servati de his rebus agit, dicit eos „usque Oceanum" progressos esse; videntur per mediam Galliam Meridionalem haud longe a finibus provinciae Romanae ad mare Occidentale contendisse. Rhodanum cum traduxissent, C. Cassius Longinus Consul eos in finibus Allobrogum excepit et diu eos secutus est, scilicet operam dans ne in provinciam Romanam intrarent. Denique in insidias inductus Consul una cum legato Pisone viro consulari cecidit, magna parte exerci-

---

[1]) Cimbri soli a. 109° nominantur a Livio epit. 65, Eutropio, Asconio p. 68ª et 80ª. — [2]) Flor. III, 3, 3. — [3]) Ascon. p. 80ª. — [4]) Liv. 65, Florus l. c. — [5]) Liv. ep. 95; Caes. I, 12, 4.

tus amissa. Altera pars, cui Laenas legatus praeerat, incolumis ad castra se recepit quidem, sed deleta esset nisi legatus, militibus sub iugum missis, obsides et dimidiam rerum omnium partem turpissimo foedere facto tradidisset [1]). Piso postea die dicta in exilium effugit [2]).

Appianus, qui vulgo rarissime tantum fontes e quibus hausit significat, hoc loco cladibus Cassii et Pisonis narratis haec addidit: „ὡς ἐν χρονικαῖς συντάξεσι δοκεῖ Παύλλῳ τῷ „Κλαυδίῳ". Praeter eum nemo Paulli Claudii scriptoris mentionem fecit. Sed ὁ ἔλεγχος χρόνων a Clodio quodam scriptus, quem Plutarchus citat in Vita Numae [3]), manifesto idem opus est quod Appianus dicit χρονικὰς συντάξεις. Verba illa Appiani viros doctos magnopere vexaverunt; sunt qui putent hic de Claudio Quadrigario cogitandum esse [4]); alii rectius hunc Claudium Paullum annalium scriptorem esse existimant, ceteroquin nobis ignotum [5]). Tum ad eum referendus esse videtur locus Ciceronis, quem attulit Peter, ubi hoc legimus: „ecce autem successere huic (Caelio Antipatro) b e l l i (vel bello) „Clodius, Asellio, nihil ad Coelium, sed potius ad antiquorum „languorem et inscitiam" [6]). Pro voce *belli* fuerunt qui legerent *Gellius*, praestat fortasse legere *Pollus*. Orosius quin in his rebus enarrandis a Livio pendeat, dubium esse non potest, cum magnus sit consensus inter eum et epitomen Livianam, quae servata est.

Tigurini post cladem Romanis illatam sponte e provincia Romana exiisse videntur; anno 106⁰ enim nulla eorum fit mentio; in Gallia ad Cimbros Teutonosque se verterunt et cum eis se coniunxerunt; proximo anno cum Cimbris iterum Romanos aggressi sunt [7]). Interea exeunte hoc anno 106⁰ alii Galli seditionem movere conati sunt; Tolosates hi fuerunt, pars gentis Tectosagum, qui Tolosam urbem in extrema parte

---

[1]) Liv. ep. 65; Oros. V, 15, 23 sq.; Caes. I, 7, 4; I, 12, 5; Tac. German. 37; App. Celt. 1, 3. — [2]) Oros. V, 15, 24; Cic. Legg. III, 16, 36. — [3]) Plut. Numa 1. — [4]) Schweighäuser ad App. III, p. 172; Hannak Appianus und seine Quellen, Wien 1869, p. 118. — [5]) Peter fr. p. 108, 2; cfr. idem Histor. Rom. Rell. 1, p. CCIC. — [6]) Cic. Legg. I, 2, 6. — [7]) Oros. V, 16, 1.

occidentali provinciae Romanae ad ripas Garumnae fluminis sitam incolebant. Hi instigati cladibus, quas Romani acceperant, et spe auxilii Cimbrorum confisi conati sunt se liberare praesidio Romano, quo tenebantur. Praesidio illo capto et oppresso, Q. Servilius Caepio, qui Consul in Gallia erat, auctoribus proditoribus quibusdam nocte urbem ingressus, templum Apollinis maximis opibus ornatum thesauris et donis spoliavit, aliasque magnas pecunias abstulit. Urbs enim perdives erat; multas fabulas homines de eis divitiis narrabant, quasi hae opes pertinerent ad thesauros a Gallis Delphos diripientibus anno 279⁰ compilatos; talia imprimis tradebat Timagenes, quem refutavit Posidonius [1]). Quibus pecuniis Romam non deductis, sed ut videtur a Caepione eiusque administris clam surreptis, hi quidem culpam a se amovere conati sunt, eos, quibus iussu Consulis praeda Massiliam transferenda tradita esset, a latronibus circumventos et despoliatos esse affirmaverunt; sed vulgo Caepionem culpa non vacare creditum est [2]).

De his rebus nulla exstat differentia; quae traduntur ad Livium referenda esse videntur. Orosius tantum et Iustinus de summa auri et argenti capti inter se discrepant; sed facile fieri potest ut apud illum exciderint vocabula „quinquies decies":

Oros. V, 15, 25.	Iustin. XXXII, 3, 11.
„Caepio .... centum milia „pondo auri, et argenti decem „milia sustulit."	„Fuere autem argenti pondo „centum decem milia, auri „pondo quinquies decies cen„tum milia".

Comparantibus nobis haec, quae de rebus anni 113ⁱ usque ad 105ᵘᵐ ad nos pervenerunt cum rebus ex anno 105⁰ usque ad 101ᵘᵐ traditis, gravis discrepantia se offert. Non solum novorum auctorum fragmenta quaedam abhinc nobis praesto sunt, sed etiam eidem auctores, qui de illis rebus summatim tantum agunt, in his rebus nonnumquam ad minutias descendunt,

---

[1]) Strabo IV, 1, 13, p. 188; Müller Fragm. Hist. Graecor. III, p. 323 et 261; cfr. Dio Cass. fr. 88 (Teubn. vol. I, p. 334). — [2]) Dio fr. 88; Oros. V, 15, 25; Aur. Vict. 73; Gell. III, 9, 7; Iustin. XXXII, 3, 11; Strabo p. 188.

adeo ut inde colligere liceat auctores quosdam primarios, rebus gestis aequales, et qui eas experiendo cognitas habuerint, has res primum libris mandavisse. Huiusmodi auctores fuerunt Rutilius, qui consul fuit anno 105°, et post eum, qui rerum participes facti sunt Sulla et Catulus. Alii auctores etiam fuerunt, qui etsi non ipsi rebus gestis interfuerint, tamen eis aequales fere fuerint, vel haud multo post floruerint. Ex his primus nominandus est Posidonius (128—45 a. C.); is res Romanas ab anno 145° ad annum 82um litteris persecutus est [1]); post bellum Cimbricum ipse in Italia, Gallia, Hispania peregrinatus est, bis a Plutarcho in Vita Marii citatur. Etiam pro certo affirmare possumus idem bellum tractatum fuisse a Valerio Antiate in Annalibus; ab hoc numeri quidam Romanorum caesorum et captorum in maius elati profecti esse traduntur [2]). Sequitur Livius, cuius narratio plena et accurata, quod tempus non tulit, in his rebus investigandis satis dolere non possumus. Novus auctor in rebus anni 105i nobis praesto est Granius Licinianus, cuius fragmenta aliquot omnium maxime gravia et pretiosa servata sunt. De tempore Liciniani dissentiunt viri docti; qui nuper de hac re egit, Dieckmann v. cl, idoneis argumentis demonstravisse videtur eum floruisse medio altero p. C. n. saeculo, Hadriani aetate et Antonini Pii [3]). Multo minoris faciendi nobis sunt auctores quidam, quos citaverunt Plutarchus et Appianus, veluti Claudius Paullus, de quo iam supra vidimus, et Alexander Myndius, Polyhistor ille celeberrimus, qui primo saeculo a. C. n. opera composuit [4]); ex eo Plutarchus sumsit quod tradidit de duobus vulturibus exercitum Marii comitantibus [5]). De rebus traditis ad singulos auctores referendis cum industria et magno acumine multi viri docti egerunt [6]).

---

[1]) Christ Gesch. der griech. Litterat. 1889, p. 430. — [2]) Vide infra. p. 95. — [3]) O. Dieckmann de Granii Liciniani fontibus et auctoritate, Berolini 1896, p. 1—10. — [4]) Christ l.l. p. 458. — [5]) Plut. Mar. 17. — [6]) Heeren, de fontibus et auctoritate Vit. Parall. Plut. Gottingae 1820, p. 148; Klapp, de Vitarum Plut. auct. Rom., Bonnae 1862, p. 23; Peter, die Quellen Plutarchs in den Biographien der Römer, Halle 1865, p. 101; Smit, Observ. in Plut. Vit. Mar., 1878 dissert., Silv. Duc. passim; Vollgraff, Greek writers of Roman history, Leyden, Van der Hoek Brothers 1880, p. 49.

Quaestionem nostram ita dispertiemur, ut tota materia secundum temporum ordinem divisa, primum semper enarremus res gestas, quae memoriae servatae sint, deinde agamus de discrepantiis auctorum et de fontibus e quibus auctores nostri hausisse videantur. Incipiemus igitur a rebus anno 105^0 gestis. Provinciae Romanae Narbonensi anno 106^0 praefuerat Q. Servilius Caepio Consul; eum senatus imperio prorogato cum exercitu in ea regione manere iussit. Sed eum solum parem non fore hostibus existimabat senatus et ob eam causam etiam Consul anni 105^i, Cn. Mallius Maximus, cum magno exercitu a senatu in Galliam missus est. Causa cur tam fortiter bellum hoc anno paraverit senatus, fuit coniuratio, quam fecerant gentes barbarae contra Romanos. Hae gentes, ut dicunt Orosius [1]) et Eutropius [2]), fuerunt partim Gallicae, partim Germanae; ex illis nominantur Tigurini et Ambrones, ex his Cimbri Teutonique. Mentio postea (a. 103^0) etiam fit de Marsis, quos tum a societate deduxit et cum Romanis conciliavit Sulla „μέγα καὶ πολυάνθρωπον ἔθνος"; ea gens videtur Germana fuisse et fortasse eadem fuit quam Tacitus memoravit, quae postea inter Lippiam et Ruram flumina habitabat [3]). Verisimile est etiam Tectosages in hac societate fuisse.

Coniuratio autem orta esse videtur apud Gallos et eo consilio facta esse ut poena a Romanis repeteretur sacrilegii ab illis Tolosae commissi, thesauris sacri direptis. Ratio enim, qua hoc anno bellum a barbaris gestum est, furor, quo omnia deleverunt quibus in pugna potiti sunt, ostendit iam ab initio votum ab eis factum esse, quo Caepionem eiusque exercitum et omnia, quae in castris haberent Romani, deis suis consecrarent. Orosius dicit barbaros „nova quaedam „atque insolita exsecratione cuncta quae ceperant pessum „dedisse" [4]); id aliam causam habuisse vix potest quam desiderium sacrilegii Tolosani ulciscendi. Sed quamquam Galli hoc sibi proposuerant ut poenas a Romanis repeterent, Germanis tamen, qui cum eis societatem fecerunt, simul aliud

---

[1]) Oros. V, 16, 1. — [2]) Eutrop. V, 1, 1. — [3]) Tac. Annal. I, 50, 56, II, 25. — [4]) Oros. V, 16, 5.

consilium propositum erat: hi novas sedes et agros sibi parare volebant, quod idem iam ab initio animum induxerant; sperabant fore, cum in Gallia non invenirent quod cupiebant, ut in provincia Romana vel in Italia loca occupare possent quibus indigebant. Coniurationis autem et societatis, quam memorant Orosius et Eutropius, etiam Teutonos et Ambrones participes fuisse tradunt hi auctores, neque id reiciamus necesse est; sed tamen tenendum est non omnes has gentes tum statim iam arma cum Gallis coniunxisse. Neque Teutoni neque Ambrones non magis quam Marsi hoc anno 105⁰ Gallis adfuerunt; hi populi in Gallia etiam quieverunt; soli Cimbri iterum hoc anno arma ceperunt ad auxilium Gallis praebendum et bellum Romanis inferendum. Omnes auctores in rebus bellicis a. 105⁰ gestis solos Cimbros nominant [1]).

Munus, quo Caepio Proconsul fungi debebat, hoc erat, ut provinciam Narbonensem tueretur; Mallius Consul providendum habebat ne Alpibus traductis in Italiam irrumperent barbari. Galliam Meridionalem in duas regiones diviserunt, quae separabantur flumine Rhodano; „duces", ut ait Orosius, „provincias sibi Rhodano flumine medio diviserunt". Dubium esse non potest quin Caepioni commissa fuerit regio occidentalis, Mallio orientalis; nam Caepio iam ex superiore anno praeerat provinciae Narbonensi, neque haec provincia ei nunc adempta esse potest. Itaque cum Caepioni, ut proelii particeps fieri posset, primum transeundum fuerit flumen Rhodanus, ut Licinianus docet, sequitur ut statuamus, proelium factum esse in ripa orientali fluminis. Caepio autem aegerrime ferebat alterum ducem cum aequali imperio secum huic bello praefectum esse, quod ipse solus conficere posse sibi videbatur. Inde gravissima invidia orta est inter imperatores de honore victoriae, quam uterque sibi cessuram esse sperabat. Hostes autem, omissa provincia Narbonensi, statim versus Alpes se direxerunt, intraverunt regionem Mallio Consuli commissam

---

[1]) Licin. 33, 5: „victoria Cimbrorum", „Cimbrorum legatio"; Dio fr. 89 § 2: „τοῖς Κίμβροις συμμίξων"; Oros. V, 16, 7: „metus fuit ne „confestim Cimbri Alpes transgrederentur"; Liv. ep. 67: „Scaurus .... „a Cimbris .... captus est", „Cimbri .... in Hispaniam transgressi".

et ripam orientalem Rhodani fluminis secuti appropinquaverunt castris Mallii Consulis in ea ripa fluminis positis.

Ibi tum a barbaris primum fusa est pars quaedam exercitus consularis, cui praefectus erat M. Aurelius Scaurus, legatus Consulis, qui ipse ante tres annos a 108° consulatu perfunctus erat. Quod is apud Orosium dicitur non M. Aurelius, sed M. Aemilius, id tribuendum est non errori Orosii, sed vitio manifesto librarii [1]). Orosius autem in compendio rerum non distincte separavit hanc primam pugnam, qua Scaurus victus est, ab altera maiore; verus ordo rerum cognoscitur a nobis e fragmentis Dionis et Liciniani solis; ea ostendunt pugnam Scauri tunc factam esse, cum Caepio Proconsul nondum adesset. In ea pugna Scaurus equo deiectus a barbaris captivus factus est. Ab his autem in concilium productus et interrogatus barbaros monet ne Alpes transgredi et in Italiam perrumpere conentur; Romanos enim invictos superari non posse. Hoc superbe dictum Boiorigi, nobili iuveni, tantopere bilem movit, ut Scaurum extemplo gladio percussum prosterneret; huius rei narrationem sola servavit epitome Liviana 67ª. Post mortem demum Scauri, ut soli distincte tradunt Dio [2]) et Licinianus [3]), Mallius Consul „Cimbrorum territus victoria" litteris supplicibus ad Caepionem missis, hunc auxiliuo arcessit. Caepio primum respondit se venire non posse, dicens „*τὴν ἑαυτοῦ ἑκάτερον δεῖν φυλάττειν*", utrique suam regionem tuendam esse. Sed paullo post invidia perductus, metu ne Mallius solus victoriam reportaret, ad eum venit, apud milites suos gloriatus „se timenti Consuli auxilium laturum", Rhodano flumine traiecto castra posuit ante castra Consulis,

---

[1]) Oros. V, 16, 2. Quod idem narrationem rerum a. 105° gestarum incipit verbis: „Anno ab urbe condita DCXLII", etiam librario tribuere possis, cum scribendum fuisset „DCXLIX"; sed veri similius est ipsum Orosium, cum de Cimbris et Teutonis nihil ante tradidisset cumque sciret bellum Cimbricum initum esse anno 113°, hunc annum ponere voluisse tanquam initium belli; tum in ea re erravit, quod ab eo initio statim delapsus ad res anni 105i enarrandas ipse neglexit se has res sub falso anno ponere. — [2]) Dio fr. 89 (Teubn. p. 334). — [3]) Licin. 33, 5 (ed. Pertz p. 34). —

ipso spatio, quod inter Consulem et hostem interpositum erat (ἐν μέσῳ ἱδρύθη).

Ne senatum Romanum quidem latuit discordia imperatorum; venerunt enim eo tempore legati senatus in castra precantes, „ut concordes essent simulque rempublicam iuvarent", ut ait Licinianus, neque „cum Consule consilium belli gerendi com-„municare voluit". De his rebus quamquam maximus consensus exstat inter Dionem et Licinianum, tamen alter non omnia habet quae ab altero traduntur et invicem se explent hi auctores. De legatione illa a senatu ad imperatores iurgantes missa nihil sciremus nisi haberemus Licinianum; tamen ea res quam gravis et ad aestimandam debilitatem, qua eo tempore laboraverit senatus idonea sit, neminem fugit. Verum quid deinceps factum sit non Licinianus, sed Dio tradidit; scilicet quod senatus assequi non potuerat, id milites vi impetraverunt; Caepionem seditione militum suorum coactum esse ut Mallium Consulem adiret et cum eo deliberaret, tradit Dio solus. Nihilominus copias non coniunxerunt imperatores; sua uterque castra tenebat et in colloquio, quod habuerunt, iurgia tam gravia inter eos orta sunt, ut res etiam in deteriorem conditionem redacta esset quam antea.

Tum legatio ab hoste missa venit ad pacem petendam. Huius rei rursus uterque, Licinianus et Dio, auctor est. Cimbrorum legati ad Mallium missi hac conditione armis se abstenturos esse declarabant, si a Romanis acciperent agros et frumentum, quo eos agros consererent. Haec legatio ad Mallium Consulem missa erat, ut Dio tradit, non ad Caepionem. Recte ea res se habebat; nam cum exercitus sederent in regione Mallio attributa, cui ob eam causam maius esset imperium, cum praeterea is esset solus magistratus populi Romani, Caepio vero esset praeses provinciae et pro magistratu, potestas decernendi de conditionibus hostium sine dubio erat penes Mallium, non apud Caepionem. Legatos nihilominus ad Caepionem, non ad Mallium, pervenisse apparet. Ea res viris doctis quibusdam dubitationem et suspicionem lacunae iniecit [1]); sed causa satis perspicua est; nam castra Caepionis

[1]) Dieckmann loco supra laud. p. 30, opinatur excidisse apud Dionem

posita erant ante castra Mallii, legati ad Mallium pervenire non poterant, nisi potestate a Caepione eis facta, per cuius castra eundum eis esset; is autem eos retinuit. Licinianus dicit Caepionem hos legatos „ita contumeliose submovisse, ut de„sperata pace *abirent*" [1]). Dio addit causam cur eos ita tractaverit Caepio, hanc fuisse, quod moleste ferret legatos non ad se, sed ad Consulem esse missos; id sane verum est, sed tamen est observandum, nullo modo fieri potuisse ut Romani aurem praeberent his postulatis Cimbrorum, quae eadem iam ante, a. 109°, Silano Consuli proposita et a senatu reiecta erant.

Barbari postero die signis illatis ceperunt castra Caepionis et maximam partem eius exercitus deleverunt, ut tradit Licinianus et solus quidem; nam fragmentum Dionis iam explicit. Secuta est altera pugna, qua Mallius consul victus est, eius castra quoque sunt capta. Livius dicit [2]) hanc cladem acceptam esse temeritate Caepionis; is videtur accepisse pugnam oblatam, quam copiis in castra retentis recusare potuisset; ob quam causam is postea a Torquato accusatus [3]) lege Appuleia de Maiestate [4]) damnatus est eiusque bona publicata sunt; etiam aliquamdiu eum tum in vinculis fuisse et a Tribuno plebis quodam liberatum esse tradit Valerius Maximus [5]). Verum fueritne haec *una* pugna, qua et Caepio et Mallius profligati sunt, *uno* die commissa, an distinguendae sunt *duae* pugnae diversis temporibus, prior cum Caepione altera cum Mallio, gestae? Nullum auctorem habemus, qui huic quaestioni responsum det; narratio pugnae quam composuit Licinianus deperdita est. Sed fieri fere non potest quin *una*

---

mentionem secundae legationis Cimbrorum, quae ad Caepionem esset missa, et Licinianum de hac legatione sola sermonem fecisse, priore omissa. C. M. Francken v. cl. (Jahrb. für Philol. 1860, p. 250) omnino has res a Liciniano traditas fide dignas non esse censet, sine iusta causa. — [1]) Codex praebet vocabulum *ado* et lacunam trium vel quattuor litterarum. Prorsus nullum dubium est, quin Pertz recte illud *ado* mutaverit in „*abirent*". — [2]) Liv. ep. 67. — [3]) Cic. de Orat. II, 40, 167; II, 48, 199; cfr. Mommsen Röm. Gesch. II, p. 179 adnot. — [4]) Licinian. 33, 4, (Pertz, p. 33). — [5]) Val. Max. IV, 7, 3.

sint victi. Nam primum, cum Caepio manus cum hostibus conseruisset, fieri non potest quin statim ei auxilio venerit Mallius, qui cum exercitu proxime aberat. Deinde, si Caepio solus esset profligatus, si Mallius Caepione prodito milites in castris retinuisset neque pugnasset, is fugam capessiverit et statim castris motis alium locum quaesiverit necesse est, ubi ab hostibus se defendere posset et diutius etiam pugnam detrectaret; at id non fecit Mallius, eodem loco quo Caepio is quoque victus est. Denique si propria pugna fuisset, qua Mallius postea esset victus, tota clades non posset attribui culpae et temeritati Caepionis, tum similem culpam apud Mallium futuram fuisse patet.

Pro certo igitur statuere licet Mallium statim Caepioni auxilio venisse, *unam* pugnam ad Rhodanum gestam esse (nisi illud proelium, quo paullo ante M. Scaurus victus erat, pro priore pugna habere et hanc pugnam omnino *secundam* dicere mavis), uno eodemque proelio duos imperatores esse profligatos. Hanc ob causam nihil ad rem attinet, quo ordine ab auctoribus nostris ponantur nomina imperatorum, cum de hac pugna agant. Caepio quamquam eius castra quidem *primum* capta sunt, ante castra Mallii tamen is eadem pugna, eodem loco et eodem tempore victus est, quo Mallius. Licebat igitur auctoribus eodem iure dicere utrum placebat: Caepionem et Mallium victos esse sive (inverso ordine) Mallium et Caepionem. Quod autem quidam auctores, et ei quidem, quos a Livio pendere constat, hunc ordinem praetulerunt [1]) id nullius momenti est,

---

[1]) Liv. ep. 67 „ab eisdem hostibus Cn. Mallius Consul et Q. Servi„lius Caepio Proconsul victi proelio castris quoque binis exuti sunt"; Oros. V, 16, 1 „C. Mallius Consul et Q. Caepio .... victi sunt"; Eutrop. V, 1, 1 „Romani consules M. Manilius et Q. Caepio victi sunt"; Flor. III, 3, 4 „nec primum impetum barbarorum Silanus, nec secundum Manilius, „nec tertium Caepio sustinere potuerunt." Florus fortasse cogitavit de ea pugna superiore, qua M. Scaurus victus et captus est, qui praeerat parti exercitus Mallii Consulis. Reliqui Mallium priore loco posuisse videntur, quia eum ordinem servatum esse videbant in epitome Liviana qua utebantur; in ea epitome autem Mallius priore loco nominatus erat, quod is erat Consul et summum imperium in ea regione habebat.

neque hac re demonstrari potest eos auctores sequi traditionem, a traditione Dionis et Liciniani diversam, ut contendit Dieckmann, qui in hac re, i. e. in ordine, quo imperatores Romani enumerantur, vestigium invenit, quo discerneret duas traditiones inter se disiunctas et contrarias [1]).

Ipsius pugnae descriptio, quam satis longam apud Licinianum olim traditam fuisse demonstrat magnum spatium palimpsesti, in quo, quod olim scriptum fuit, hodie nullo modo legi potest, apud nullum auctorem servata est. Aliquid, quod eo pertinet, invenitur apud Plutarchum; is tradit [2]) milites Romanos male pugnasse et mox terga vertisse „κακῶς ἀγωνισαμένων τῶν Ῥωμαίων καὶ τροπῆς γενομένης", Sertorium equo amisso et vulneratum Rhodanum flumen tranasse, armatum lorica indutum et cum clipeo adversante vi fluminis, et ita servatum esse.

Post victoriam barbari omnes homines, quos ceperant interfecerunt, et omnem praedam, qua potiti sunt, discisserunt. Huius rei valde memorabilis, quam iam supra cum sacrilegio Romano Tolosae facto coniunximus, solus auctor est Orosius [3]). Is singulas res enumerat, vestes discissas, aurum argentumque in flumen abiectum, loricas concisas, phaleras equorum disperditas, equos ipsos flumine inmersos, homines laqueis collo inditis ex arboribus suspensos esse ait. Numerum caesorum secundum Antiatem profert Orosius: „octoginta „milia Romanorum sociorumque ea tempestate trucidata, „quadraginta milia calonum atque lixarum interfecta Antias „scribit". Idem addit decem tantummodo homines superfuisse, qui nuntium cladis reportarent [4]). Haec res ita, quemadmodum eam accepit Orosius, ut *ex omni exercitu* decem tantum homines superessent sane absurda et incredibilis est; si id verum esset, inter hos decem homines numerandi nobis essent cum Proconsul tum Consul, neuter enim horum hoc proelio occisus esse videtur, ut ostendunt iudicia postea de eis facta; atqui si duobus imperatoribus copia fuit effugiendi, sane plus quam octo milites eorum fugae participes se facere

---

[1]) Dieckmann pag. 32 sqq. — [2]) Plut. Sert. 3. — [3]) Oros. V, 16, 4—7. — [4]) § 3 et § 4.

potuerint necesse est. Sed rem de nihilo fictam esse non magis credere velim; ita initio traditum esse crediderim decem homines tantum *ex eis, qui ab hostibus capti essent*, effugisse et mortem reliquorum captivorum ad imperatores renuntiavisse; id veri similitudine non caret. De numeris, qui apud alios auctores exstant, mox videbimus.

De loco, quo proelium factum est, quamquam recentiores viri docti pro certo affirmare solent, eum fuisse ad oppidum Arausionem, et eo nomine hoc proelium hodie signari solet, tamen apud auctores nihil aliud invenitur quam eum fuisse „ad Rhodanum flumen" [1]). Nomen „Arausio" a Gronovio e coniectura illatum est in epitomen Livianam; numquo iure, infra videbimus. De tempore, quo pugnatum sit, Plutarchus nos certiores fecit; is enim dicit [2]) proelium ad Rhodanum gestum esse pridie Nonas Octobres. In fragmento autem [3]) Liciniani in fine descriptionis proelii deperditae leguntur hae litterae RINONC . . . OB; ex his vestigiis Hirschfeld v. cl. praeclare effecit olim scriptum fuisse: „PRI(DIE) NON(AS) OCTOBRES" [4]), et apparet diem proelii eundem a Liciniano proditum fuisse atque a Plutarcho.

Ingens luctus et metus Romae orti sunt, cum ea clades esset renuntiata. Metuebant ne statim in Italiam irrumperent Cimbri. Sed fortunae favor Romam servavit. Cimbri primum aliquamdiu manserunt in parte meridionali Galliae. Ibi provinciam Narbonensem populati sunt; omnia diripuerunt, quae inter Rhodanum et Pyrenaeos sunt [5]). Inde Pyrenaeos transgressi, Hispaniam invadere conati sunt anno 104° exeunte ut videtur. Nam cum Marius iterum Consul esset anno 104°, barbari iam non comparuerunt ad Rhodanum [6]) et a. 103° etiam Romanos non vexaverunt. His annis Cimbri conati sunt in Hispania sedes occupare. Sed ea res frustra fuit, a Celtiberis repulsi sunt. Itaque ineunte anno 102° demum in Galliam reversi cum Teutonis aliisque gentibus iterum se coniunxerunt [7]). Teutonos igitur, ut supra diximus, in Gallia quietos mansisse hac re confirmatur.

---

[1]) Eutrop. V, 1, 1. — [2]) Plut. Luc. 27. — [3]) Licin. fol. 8, lin. 8 (ed. Pertz p. 12). — [4]) ap. Dieckmann p. 33. — [5]) Liv. ep. 67. — [6]) Plut. Mar. 14. — [7]) Liv. l. c.

De metu Romae orto anno 105⁰ exeunte post stragem renuntiatam egit Orosius [1]) et Diodorus eam rem tetigit; nam fragmentum XXXIV[i] libri 37[um] ad hunc annum referendum esse satis constat [2]). Sed quid Romae tum factum sit, alius auctor, Licinianus, solus accuratius tradit; praeter eum etiam Diodorus mentionem facit de rebus urbanis huius anni et is explet res a Liciniano traditas. Diodorus magna laude senatum ornat, quod is cladem magno animo tulerit et nimium luctum reprimere conatus sit [3]). Licinianus autem addit quid fecerit alter consul, P. Rutilius Rufus, ad periculum, quod urbi immineret arcendum. Is enim „cum metus adventantium „Cimbrorum totam quateret civitatem, iusiurandum a iuniori„bus exegit, nequis extra Italiam quoquam proficisceretur; „missique per omnes oras Italiae atque portus, qui praedice„rent, ne ulli minorem (legendum esse videtur minorum), „triginta quinque annorum in navem conscendere liceret." His verbis finitur fragmentum; verisimile est etiam alia addita fuisse, quibus ostenderetur quomodo exercitum ad urbem et Italiam defendendam coegerit et saluti patriae consuluerit Rutilius consul. Paullo antea idem auctor egit de prodigiis quibusdam in urbe et in Italia visis, cum terror omnes animos obstrictos teneret et de sacro quodam a matronis peracto et carmine a pueris publice cantato; illa prodigia alio modo descripta etiam apud Obsequentem [4]) leguntur. Licinianus haec omnia memoravit alieno loco, ante narrationem proelii ad Rhodanum facti. Inde effecit Dieckmann Licinianum, ea cum scriberet, secutum esse auctorem aliquem diversum ab auctore, e quo postea sumpserit res bellicas huius anni; haec coniectura non videtur satis firmo, argumento niti [5]).

---

[1]) Oros. V, 16, 7. — [2]) ed. Didot II, p. 549. Fragmentum incipit his verbis, „*Κάρβωνος καὶ Σιλανοῦ.*" Sed temporis indicium in eis verbis, quae ad diversos annos (113[um] et 109[um]) pertinent, non inest; Diodorus hos annos memoraverat ad a. 105[um], ut diceret cladem anni 105[i] multo graviorem fuisse quam clades illorum annorum. — [3]) Diod. 34, 37 „*ἡ δὲ σύγκλητος μεγαλοψύχως φέρουσα τὴν συμφοράν, τά τε πολλὰ „πένθη καὶ τὴν ὑπερβολὴν τῶν κλαυθμῶν .... κατέστειλε καὶ τὴν „ἐπὶ τῇ συμφορᾷ λύπην ἐπικρυπτομένη βαρέως ἔφερεν.*" — [4]) Obseq. 102. — [5]) Dieckmann p. 40.

Postquam exposuimus res gestas, superest ut quaedam observemus de nonnullis rebus, quae ad auctores certos referri posse videantur, de vinculo, quod inter scriptores esse appareat, de fontium communione. Ac primum quidem maxime in oculos incidit consensus, qui exstat inter Dionem et Licinianum. Iam supra apparuit, non solum res simillimas apud eos narrari sed etiam alterum ab altero expleri, itaque eos fonte communi usos esse constat. Similitudinem rerum traditarum prolixius etiam ostendere nihil attinet, satis est animadvertere eos nonnumquam eisdem verbis uti.

Licinianus:	Diodorus:
„ne communicare quidem cum „eo consilium belli gerendi vo- „luit . . . neque adduci potuit, „cum non multo abesset, ut „exercitum iungeret".	„οὔτε δὲ ἐν τῷ αὐτῷ χωρίῳ „ἠὐλίσατο οὔτε τι βούλευμα „κοινὸν ἐποιήσατο."

Hanc traditionem communem autem Dionis et Liciniani a Liviana separatam, ad **Posidonii** imitationem communem referre conatus est Dieckmann. Sed argumentum, quo hos auctores seiunxit a Liviana traditione, non satis firmum esse videtur; nititur illo ordine peculiari, quo imperatores victi nominantur, de quo supra vidimus. Rectius opinor hodie statuunt viri docti apud Diodorum superesse vestigia traditionis Posidonii [1]). Quamquam argumentis id confirmare non conabimur; ea res enim cohaeret cum quaestione longius pertinenti, de auctoribus Diodori, quae longe excedit fines huius disputationis. Satis nobis sit indicasse etiam in hac exigua parte rerum Romanarum, de qua nunc agimus, repugnantiam esse inter Diodorum et traditionem Livianam, quod infra ostendemus; ea repugnantia favet opinioni Diodorum his in rebus quoque Posidonio usum esse. Denique Plutarcho notum fuisse opus Posidonii ostendunt loci ubi eum citat.

Valerius Antias citatur apud Orosium. Eius verba haec sunt [2]): „si quidem in ea pugna M. Aurelius consularis captus

---

[1]) De ea re egit Müllenhoff Deutsche Altertumskunde II, p. 177 sqq.; cfr. Dieckmann p. 34. — [2]) Oros. V, 16, 2 sq.

„atque interfectus est, duo filii consulis caesi; octoginta milia „Romanorum sociorumque ea tempestate trucidata, quadra„ginta milia calonum atque lixarum interfecta Antias scribit". Quod sequitur, decem homines tantum superfuisse, qui nuntium reportarent, etiam ad Antiatem referendum esse videtur, quamquam, ut supra dixi, rem perperam ab Orosio acceptam esse verisimile est.

Cum his verbis comparanda sunt verba epitomae Livianae 67ae: „victi proelio castris quoque binis exuti sunt, militum „milia octoginta occisa, calonum et lixarum quadraginta se„cundum . . . .". Post vocabulum „*secundum*" unus codex (Nazarianus) habet „*aprausionum*" (littera *e* adscripta super alteram *u*). Inde Gronovius coniecit „Arausionem". Alius codex vetus (Guelferbytanus) et codices recentiores habent „*a „po ro ansionem*" [1]). Iam clarum est, pro illo „*ansionem*" levissima mutatione substitui posse „*Antiatem*". Id etiam hac re praestat, quod „secundum Arausionem" nihil est, „secun„dum Antiatem" vero optime se habet. Praeterea in ea sententia, in qua de numero caesorum agebatur, locus non est nomini oppidi ad quod pugnatum sit; id si nominari debebat, multo ante nominandum fuerat. Has ob causas dubitari non potest, quin „*Antiatem*" restitui debeat, reiecta coniectura „*Arausionem*". Sed sic etiam molestae manent litterae „*a „po ro*", quarum nullam rationem etiam habuit Gronovius. Liceat fortasse suspicari in his litteris inesse reliquias nominis gentilicii, et olim scriptum fuisse „*secundum Valerium Anti„atem*". Quicquid rerum est, iam per se satis clarum est Orosium non proprio Marte adiisse libros Antiatis; nomen Antiatis iam a Livio laudatum fuisse, cum is de numero Romanorum ad Rhodanum caesorum ageret, affirmare possumus; ex Livii autem libris id nomen transiit in illam epitomen Livianam nunc deperditam, qua Orosius ceterique scriptores uti solebant; inde hoc nomen in suum opus transtulit Orosius.

Nihil igitur obstat, quin Orosium referamus ad traditionem Livianam; quin etiam eum Livio usum esse, his ipsis quae diximus confirmatur. Idem autem valere de Dione et Lici-

---

[1]) O. Jahn T. Livii periochae, Lips. 1853 p. 70.

niano existimo. Adest enim argumentum, quo demonstretur, ne hos auctores quidem a Livio alienos esse. Vestigium Livianum enim invenitur in ipsis verbis Liciniani. Comparandae sunt hae sententiae.

Liv. ep 67.	Licin. 33, 5.
„M. Aurelius Scaurus ... a „Cimbris captus est et cum *in* „*consilium ab eis advocatus* de- „terreret eos ...."	„M. Aurelium Scaurum .... „ceperunt. Nam is *vocatus in* „*concilium ab his* ...."

Quod Marcus Aurelius Scaurus captivus factus ab hostibus de fortuna belli interrogatus est, id tam multis et variis modis Latine enuntiari poterat, ut prorsus constet, si duo auctores in ea re *eisdem vocabulis* utantur, hos auctores inter se cohaerere et ex eodem fonte eos haurire.

Licinianus etiam egit de numero caesorum. Sed reliquiae litterarum ibi tam obscurae sunt, ut certi aliquid inde effici non possit. Legi possunt [1]) vocabula: „militum .... que „non minus semel periisse existimantur". Dieckmann, qui supplevit „militum *calonum*que" iam hoc obesse dicit, quin credamus traditionem Antiatis (Livianam) apud Licinianum exstare, quod Livius (Antias) separatim de militibus caesis et de calonibus caesis egit. Sed is oblitus est vocabulum „calonum" in hunc locum a se ipso esse illatum. Nihil obstat quominus legamus „militum *sociorum*que", quemadmodum Orosius dicit: „octoginta milia Romanorum *sociorumque* ea „tempestate trucidata esse". In vocabulo corrupto Liciniani „*semel*" latere potest numerus maior, Orosii numero conveniens, LXXX. Fieri igitur potest ut Licinianus scripserit: „militum sociorumque non minus octoginta milia periisse „existimantur"; quod si verum est hac quoque re cum Orosio et cum Livio convenit.

Demonstrari igitur non potest in eis, quae de rebus bello a. 105° gestis nobis servata sint (praeterquam apud Diodorum), aliquid inesse, quod ad traditionem Livianam non pertinere possit. Etiam prodigia a Liciniano descripta ita conveniunt

---

[1]) in ed. Pertz p. 35 et p. 12.

cum verbis Obsequentis [1]), qui Livium secutus esse videtur, ut utrumque e Livio haurire potuisse non sit quod neges. Solus Diodorus discrepat. Is enim tradit numerum Romanorum in bello Cimbrico ante adventum Marii et annum 104um caesorum fuisse sexaginta milium [2]). Ut dixi, id fortasse Posidonio debetur.

Licinianus, ut supra diximus, solus prolixius egit de rebus urbanis anni 105^{i} et de senatusconsultis a Rutilio consule factis. Verisimile est haec servata fuisse in historiis ipsius **P. Rutilii Rufi**. Quod si verum est, apparet Livium (si quidem is fuit auctor Liciniani) in his rebus enarrandis usum esse historiis Rutilii.

Transimus ad res annis 104^{0}—101um gestas. Marius aestate anni 105^{i} absens iterum consul creatus erat. Is triumpho de Iugurtha acto, exercitu comparato sociorum et transmarinorum populi Romani amicorum auxiliis arcessitis etiamque capite censis, quos iam antea secum in Africam duxerat [3]), conscriptis [4]) statim ad Rhodani ripam proficiscitur. De via, qua iter fecerit, de ipso loco, quo castra collocaverit, perpauca tantum a rerum scriptoribus tradita sunt. Est qui narraverit, eum milites gravibus laboribus assuefecisse, itineribus et expeditionibus eorum corpora exercuisse et sarcinas alio modo atque antea ferri iussisse [5]). Frontinus quoque auctor est [6]), eum ut fidem Gallorum et Ligurum excuteret, litteras ad eos misisse praesignatas, aliis non signatis implicitas, et ante certum tempus illos aperiri vetuisse; easdem postea ante praestitutam diem repetitas resignatas repperisse, unde eas gentes sibi infensas esse intellegeret [7]).

Cimbri, proelio apud Rhodanum facto, populabundi iter in Hispaniam fecerant, ubi duos circiter annos manserunt. Teu-

---

[1]) Obseq. 102. — [2]) Diod. 36, 1 (Didot p. 550), hunc numerum ad *totum* bellum Cimbricum pertinere, in errorem inductus statuit Dieckmann p. 34 ann. 2. — [3]) Sall. B. I. 86, 2; Flor. III, 1, 13; Val. Max. II, 3 1. — [4]) Diod. 36, 3, 1, (Didot p. 551); Gellius N. A. XVI, 10, 14; de quo cfr. Ihne Röm. Gesch. V, p. 181 annot. 1. — [5]) Plut. Mar. 13; Front. IV, 1, 7. — [6]) Front. I, 2, 6. — [7]) Anno 102^{0} Marius Liguribus auxiliis utitur; cfr. Plut. Mar. 19.

toni per idem tempus in Gallia se continuerant. Marius interim, ad Rhodani ripam in orientem spectantem castris positis, milites severa disciplina assuefacere pergit, militem quendam gregarium, Trebonium nomine, qui tribunum C. Luscium sive Lusium, consulis ipsius propinquum, pudicitiam sibi eripientem interfecerat, praemio ornavit. De hac ipsa re quaedam discrepantia exstat inter auctores; Plutarchus et Asconius [1]) militem Trebonium dicunt, tribunum C. Luscium, apud Valerium Maximum [2]) miles C. Plotius vocatur et apud Asconium „Trebonius sive Arruntius miles" tribuno vim attulisse dicitur.

Quamquam amicitia, qua Marius et Sulla olim coniuncti erant [3]) iamiam dissolvebatur, consul hunc nimis vilem duxit quam ut eum acerbo odio persequeretur; sed ab altera parte nimis acrem quam ut officia eius, quae magni aestimabat, repudiaret. Sulla legati munere fungens [4]) consulem comitatus eius de se opinionem minime frustratus „illustratus", ut ait Velleius, „in Gallia legatione sub Mario" [5]) „in bello „Cimbrico et Teutonico", ut Aurelius Victor dicit [6]), „bonam „operam navavit". Ipse singulas res hoc anno 104° a se gestas in Commentariis sine dubio diligenter persecutus est; sed auctores, qui hos Commentarios legerunt, non multa ex eis sumserunt; paucas tantum res summatim tangunt, omni descriptione et explicatione omissa; sic e Plutarcho cognoscimus tantum eum „πρεσβεύοντα . . . ἡγεμόνα Τεκτοσάγων ἑλεῖν" [7]). Hi, ad Pyrenaeorum partem spectantem inter septentriones et orientem colentes, iam antea [8]) ad bellum cum Romanis surrexerant et fortasse anno 105° foedus cum Cimbris fecerant, ut eis ex Hispania reversuris tutum recessum praeberent. Nam in Pyrenaeis montibus duo tantum saltus sunt, alter a parte occidentis, alter vergens inter septentriones et orientem in ipsis Tectosagum finibus. Cum homines vulgo exspectarent

---

[1]) Ascon. p. 279. — [2]) Val. Max. VI, 1, 12. — [3]) Supra p. 79. — [4]) Legati assumebantur vulgo a ducibus et imperatoribus sed senatui comprobandi erant; Vide Mommsen Staatsr. II, p. 178. — [5]) Vell II, 17, 3. — [6]) A. V. de Viris Ill. 75. — [7]) Plut. Sulla 4. — [8]) Supra p. 86.

Cimbros in Italiam reversuros esse, Marius absens tertium consul creatur, provincia ei iterum decernitur [1]).

Nulla res a Mario hoc anno 103⁰ gesta ab auctoribus prodita est, quamquam testis oculatus qui eas litteris persequeretur non deerat; si Commentarios Sullanos haberemus, plura de his rebus cognoscere nobis liceret. Etiam vestigium habemus quo demonstretur Sullam in Commentariis diligenter egisse de opera, quam ipse tribunus militum in castris Marii hoc anno navaverit; traditum est a Plutarcho eum „μέγα καὶ „πολυάνθρωπον ἔθνος Μάρσους πεῖσαι φίλους γενέσθαι „καὶ συμμάχους Ῥωμαίων" [2]).

Quod anni reliquum erat „in apparatu belli consumptum" est [3]); quae verba nimis parca significant cogitantibus Marium, ut hoc ipsum perficeret, iam anno superiore magnam operam dedisse.

Cum L. Aurelius Orestes, Marii III consulis collega, in magistratu mortuus esset, hic ad comitia habenda Romam profectus est [4]); praefecto exercitui M. 'Aquilio pro praetore quem postea victoria de servis in Sicilia reportata et turpis nex qua Mithridates eum affecit notum reddiderunt.

Multus est Plutarchus in enarranda simulatione qua Marius usus esse dicitur, ut quartum consul crearetur. Cum his coniungenda sunt ea quae Livius de eadem re libris mandavit in hanc sententiam: „Marius quartum consulatum *dissimulanter* „captans consecutus est" [5]). Collega ei datus est Q. Lutatius Catulus, vir magna auctoritate apud nobiles, populo non ingratus, sed iners et parum strenuus [6]).

Pervenimus ad res annis 102⁰ et 101⁰ gestas. Auctores satis multi sunt, quorum in rebus gestis horum annorum enarrandis ratio habenda nobis est; sunt hi praeter Plutarchum: Orosius, Florus, epitome Liviana, Eutropius, Velleius, Frontinus, Dio Cassius, Aurelius Victor, Plinius, Strabo, Polyaenus. Propositum nobis est ad singulas partes narrationis rerum

---

[1]) Liv. ep 67. — [2]) Plut. Sulla 4. — [3]) Vell. II, 12, 5. — [4]) Plut. Mar. 14. Fieri potest ut a senatu arcessitus sit; cfr. Smit Observ. in Plut. Vit. Mar., diss. Silv. Duc. 1878, p. 51. — [5]) Liv. ep. 67. — [6]) Plut. Mar. 14; Sulla 4; Liv. l. c.

gestarum, quam percurrere debemus, semper adnotare discrepantias horum scriptorum et, quantum fieri possit, ad singulas illas partes semper exponere de auctoribus, e quibus horum scriptorum unusquisque suam hausisse videatur traditionem, et de communione fontium quae inter quosdam ex eis semper exstare videatur. Hoc ut ordine facere possimus, profecturi semper sumus a narratione Plutarchi; ea enim multo prolixior est quam narrationes ceterorum scriptorum. Plutarchi narratio continetur quatuordecim capitibus Vitae Marii, cap. 15^{0}—28um, ad quae accedunt parvae partes capitis 4^{i} Vitae Sullae et capitis 3^{i} Vitae Sertorii. Horum quatuordecim capitum series igitur nobis praebebit ordinem, quo de singulis rebus videbimus et quo citabimus reliquos auctores.

Plut. Mar. c. **15.**

Marius consul ineunte anno 102^{0} ab urbe profectus cum exercitu ad Rhodanum contendit. Apparet hostes tum nondum in provinciam Romanam invasisse, cum Marius adveniret; non solum is potuit satis longe versus septentrionem progredi et ad Confluentem Rhodani et Isarae pervenire, ubi substitit et firmissima castra munivit; sed etiam tempus ei fuit curandae rei frumentariae et provituidendi commea. Magnam copiam frumenti in castra comportari iussit ne quando, si ibi ab hostibus obsideretur, inopia coactus ex castris exire et pugnam accipere deberet. Praeterea etiam magnum opus perfecit, quo facilius commeatus per Rhodanum flumen advecti, ad se pervenire possent; fossam duxit a Rhodano flumine ad mare. Quamquam Plutarchus h. l. solum ad a. 102um de ea re mentionem fecit, tamen tam magnum hoc fuit opus, ut verisimile videatur iam superiore anno id a Mario aut inchoatum esse aut iam perfectum. Quin etiam, quamquam omnes auctores castra illa ad Confluentem posita a. 102^{0} demum memorant, verisimile est haec quoque castra iam a. 103^{0} vel a. 104^{0} a Mario primum esse constituta. De ea fossa multa et memorabilia h. l. tradidit Plutarchus, etiam Strabo de hoc opere Mariano diligenter egit [1]). Strabo imprimis ex-

[1]) Strabo IV, 1, 8, p. 183.

posuit utilitatem, quam hoc opus praebuit Massiliensibus; his enim fossam suam dono dedit Marius et potestatem eis fecit exigendi in posterum portorii a navibus mercatoriis, quae per eam in Rhodanum inveherentur. Praemium hoc fuit a Mario Massiliensibus oblatum propter bonam operam in hoc bello ab eis praestitam „ἀριστεῖον κατὰ τὸν πρὸς Ἄμβρωνας καὶ Τωυγενοὺς πόλεμον".

Non omnia repetemus quae praeterea de hac re scripserunt Plutarchus et Strabo; satis est dixisse utrique harum rerum *auctorem fuisse Posidonium.* Id cum iam satis per se manifestum sit, tum hac re confirmatur, quod, ut mox videbimus, Posidonius ibi Toygenos nominare solet, ubi auctores Romani Tigurinos nominant; id autem hoc Strabomis loco etiam factum est. Locum quo Marius castra posuit, Confluentem Isarae et Rhodani, etiam Livius indicaverat; sed ex omnibus auctoribus qui eum sequuntur unus tantum, Orosius, pretium operae esse existimavit eum locum nominare [1]); reliqui omnes, etiam Florus et auctor epitomae nostrae, quamquam castra Marii memorant, locum ubi ea fuerint nominare neglegunt, quamquam nulla re magis opus erat ad intellegendum cursum huius belli.

Plutarchus deinceps agit de consiliis hostium. Dicit eos se in partes divisisse; deinde addit unam partem aggressam esse castra Marii, id quomodo factum sit narrat et quomodo hostes, cum castra oppugnare non possent, ea praetereuntes in itinere perseveraverint. Etiam auctores Liviani, Orosius et Florus, memorant divisionem hostium; hi etiam hostes castra praeteriisse tradunt. Sed in ea re tantopere tamen differunt a Plutarcho, ut manifestum sit Plutarchum etiam hac in re alienum esse a Livio eumque auctore usum esse Posidonio. Insignis discrepantia haec est, quod apud Plutarchum divisio hostium facta sit *antequam* ad castra Marii pervenerunt et quod *una* pars solum ad haec castra pervenit; apud auctores vero Livianos hostes nondum divisi *primum* ad castra perveniunt, *deinde* divisionem illam ineunt postquam castra prae-

---

[1]) Oros. V, 16, 9.

tergressi sunt. Inde factum est ut apud Plutarchum castra oppugnentur a Teutonis et ab Ambronibus (Toygenos, quos addere potuit, omisit), *sine Cimbris;* apud Orosium vero — nam Florus populos non numerat — populi qui aggrediuntur castra sunt Teutones, Cimbri et Tigurini et Ambrones [1]). Cum autem constet illam divisionem ab hostibus factam esse hoc consilio, ut altera pars Rhodanum et litus maris secuta per Alpes Maritimas a parte occidentali in Italiam invaderet, altera vero Alpes septemtrionales versus orientem transgressa, inde per Noricum et trans Alpes Carnicas aut Tridentinas ad Veronam urbem et flumen Atesin progressa, a parte orientali in Italiam irrumperet, prorsus nullum dubium esse potest utri auctori, Posidonio an Livio, hac in re fides sit habenda. Quin etiam facile intellegitur, si quis tabulam chorographicam harum regionum inspicit, illa pars hostium quae ab orientali parte Italiam invasura esset, si ea quoque simul cum altera praeteriisset Confluentem et castra Marii, ut postea in Noricum et ad Alpes Carnicas perveniret nullo modo fieri potuisse, nisi antea, eo reversa unde veniret, rursus ab altera parte pergens, Confluentem iterum praeteriret, quod factum non est neque fieri potuit. Itaque in errorem sane gravissimum hoc loco incidit Livius, cum divisionem factam esse diceret post Confluentem praeteritum; ab eo errore Plutarchus — auctore quod dubium non est Posidonio — recte cavit [2]).

---

[1]) Oros. V, 16, 9; cfr. 14. Hoc tamen loco silentio tegere non licet epitomatorem Livianum in hac re non cum Orosio et Floro, sed cum Plutarcho consentire; in epitome Livii 68ª hostes, qui Marii castra aggrediuntur sunt Teutones et Ambrones soli; non admixtis Cimbris. — [2]) Vide praecedentem annotationem; etiam epitome Liviana, quae nobis superest, ab hoc errore cavit; apud eum quoque Cimbri non sunt inter hostes qui castra Marii aggrediuntur; itaque apud eum divisio etiam iam facta esse videtur antequam ad Confluentem pervenerunt barbari. Tamen necessarium mihi non videtur hanc sententiam veram epitomatoris ad ipsum Livium referre; id si faceremus statuere deberemus Orosium et Florum a Livio hoc loco *non* pendere, quod quam parum probabile et novarum difficultatum plenum sit, neminem latet. Fieri sane potest ut error, ab ipso Livio alienus, epitomatori illi soli sit tribuendus, qui nobis non superest, quo vero usi sunt Orosius et Florus;

Altera discrepantia minus gravis est. Plutarchus dicit in *duas* partes se divisisse hostes; apud Orosium vero et Florum, i. e. apud Livium [1]) legimus *tripertito* eos se divisisse. In ea re Livius sane verum tradidit; revera enim postea, sub finem belli apud Florum memoratur illa „tertia manus" hostium [2]). Sed ibi etiam apparet hanc tertiam partem, postquam Noricum intraverit, nusquam pervenisse: „in diversa lapsi fuga „ignobili et latrociniis evanuit", ait Florus; itaque non gravis culpa est Plutarchi vel auctoris eius Posidonii, quod hanc tertiam partem omnino neglexit, quippe quae in Italiam non pervenerit.

Difficilior quaestio est de ipsa divisione et de nominibus populorum, qui in singulis partibus fuerunt. Primum agemus de nomine quodam gentis, quod Posidonio proprium est; hi sunt Toygeni, quorum nemo praeter Posidonium et auctores ab hoc pendentes mentionem fecit. Strabo aliquot locis eos nominat; dicit eos fuisse partem Helvetiorum, non secus atque Tigurinos et cum his eos domo exiisse narrat et eo loco Posidonium auctorem citat: „*Ποσειδώνιός φησι ..... τοὺς „Κίμβρους ..... καταβῆναι ..... εἶτ' ἐπὶ Ἑλουητίους, „πολυχρύσους μὲν ἄνδρας εἰρηναίους δέ ὁρῶντας δὲ τὸν „ἐκ τῶν ληστρίων πλοῦτον ὑπερβαλλοντα τοῦ παρ' ἑαυτοῖς „τοὺς Ἑλουητίους ἐπαρθῆναι* (scil. Helvetii videbant divi„tias a Cimbris rapiendo collectas etiam maiores esse quam „quas ipsi cumulaverant, et hac re instigati se Cimbris adiun„xerunt), *μάλιστα δ' αὐτῶν Τιγουρίνους τε καὶ Τωυγενούς, „ὥστε καὶ συνεξορμῆσαι*" [3]). Existimare debemus Toygenos Romanis illis temporibus haud minus notos fuisse quam Tigurinos et forte fortuna solum factum esse, ut eorum mentionem numquam faciat traditio Romana; fortasse numerus eorum non adeo magnus fuit, quo factum est ut eos diserte nominare operae pretium visum non sit eis scriptoribus Romanis, qui primi hoc bellum descripserunt; quidquid causae

---

sed etiam fieri potest ut Livius ipse erraverit, ut epitomator qui nobis superest errorem correxerit; hanc sententiam praeferimus. — [1]) Liv. ep. 67. — [2]) Flor. III, 3, 18. — [3]) Strabo IV, 1, 8, p. 183; Posid. fr. 75; Müller Fragm. Hist. Graec. III, p. 285.

est, constat apud scriptores Romanos Toygenos non esse suo nomine apellatos. Locus autem laudatus Strabonis docet eos fuisse gentem Helveticam. Videntur autem Toygeni plerumque non cum Tigurinis sed cum Ambronibus arma consociavisse. Strabo loco ante laudato [1]) dicit Massilienses a Mario praemium accepisse propter operam, quam praestitissent in bello contra Ambrones et Toygenos gerendo. Iam hoc loco moneo hoc dictum non referendum esse mihi videri ad annum 102um, sed ad res antea, ante adventum Marii quartum consulis et castra ad Confluentem oppugnata, gestas. Veri simile Ambrones cum Toygenis coniunctos antea in agros Massiliensium proprio Marte, sine Cimbris et Teutonis, incursiones fecisse, eo tempore quo exercitus Romanus nullus adesset, qui Massilienses defenderet, (e. gr. hoc factum esse potest anno 105^0 exeunte post cladem a Mallio consule acceptam), et tum Massilienses fortiter eis restitisse. Sed anno 102^0 quin iterum cum Ambronibus coniuncti fuerint Toygeni, nihil est quod dubitemus.

Sed iam pergere debemus ad describendam divisionem illam, quam ineunte anno 102^0 fecerunt hostes. In ea re exploranda certe ad sententiam firmam et probatam vix perventuri essemus, si satis haberemus singulorum auctorum opiniones in conspectu ponere; hae enim nimis inter se discrepant. Immo aestimanda sunt testimonia; quaerendum est num quae inter ea sint, quae firmam et ceteris maiorem auctoritatem habeant; ab his profecti deinceps iudicare poterimus quid de reliquis testimoniis sit iudicandum, et ostendi poterit quatenus alii erraverint ex scriptoribus qui discrepent, alii verum servaverint, aliis fortasse textu emendato reddi possit vera traditio a librario eis detracta. Eiusmodi testimonia firmiora et insigniora duo habemus; ea primo loco ponemus.

Primum nihil sane certius esse potest quam titulus triumphi anno 101^0 a Mario consule et Catulo proconsule acti. Is autem docet Marium tum triumphasse de Ambronibus, Teutonis Cimbrisque, Catulum vero de Cimbris [2]). Primum igitur apparet inter hostes, qui profligati sint in eo proelio, cuius

---

[1]) Supra p. 104, annot. 1. — [2]) Baiter Fasti cons. et triumph. p. CLIX.

Catulus particeps fuit, anno 101° in Campis Raudiis gesto, neque Ambrones fuisse neque Teutonos; Cimbri, et ei quidem soli ex gentibus, quae in titulo memorantur, tum a Mario et Catulo victi sunt. Hinc derivandum est secundam partem hostium, quae ad Alpes Carnicas et Atesin flumen abiit, continuisse Cimbros solos, in ea neque Ambrones fuisse neque Teutonos. Deinde vero necesse est hos populos fuisse in prima parte hostium, in ea parte qua anno 102°, postquam ad Confluentem agressa est castra Marii, ab eo deinde in proelio ad Aquas Sextias est oppressa. Quod etiam victoria de Cimbris reportata tribuitur, id non probat hos quoque ibi adfuisse; Marius enim utriusque victoriae particeps fuit. Iam vero cum fieri nullo modo possit, quemadmodum supra diximus, ut eidem homines, qui ad Confluentem castra Marii praeterierint, etiam fuerint inter eos qui postea in Campis Raudiis sint victi, iam constat illam primam partem hostium non comprehendisse Cimbros. Sed ex hac prima parte nullo modo eximi possunt Teutoni et Ambrones; horum utrique ad Confluentem contra Marium pugnaverint et omnes auctores erraverint necesse est, qui hoc negantes omittant alterutrum nomen.

Secundum testimonium firmissimum inest in eo loco Flori supra iam laudato, ubi is agit de interitu tertiae partis, Florus eo loco diserte dicit hos fuisse Tigurinos: „tertia Tigurinorum „manus, quae quasi in subsidio Noricos insederat Alpium „tumulos, in diversa lapsi . . . evanuit" [1]). Hoc igitur constat: in *prima* parte hostium, quae ad Aquas Sextias oppressa est, fuerunt Teutoni et Ambrones (Toygenos his ex coniectura addere possumus); in *secunda* parte hostium, quae ad Atesin Catulum oppugnavit, fuerunt Cimbri; in *tertia* parte vero, quae in Norico interiit, fuerunt Tigurini.

Ab hac sententia satis probata primum cum specie veri contendere quispiam possit aberrare videri Strabonem sive Posidonium, cum dicat [2]), Marium praemium dedisse Massiliensibus propter laudes in bello contra Ambrones et Toygenos meritas; nam haec verba si referuntur ad bellum, quod anno

---

[1]) Flor. III, 3, 18. — [2]) Loco supra laudato p. 104 adnot. 1.

102^0 Mario gerendum erat, negant Mario tum cum Teutonis quoque rem fuisse. Sed ea species falsa est, locus ut supra iam monui, pertinere videtur ad bellum aliquod ceteroquin nobis ignotum, quod ante annum 102um a Massiliensibus gestum est, certe nemo pro certo demonstrare poterit, eum ad res anno 102^0 gestas pertinere et Posidonium erravisse.

Recte deinde divisio se habet apud Plutarchum; is recte priori parti adnumerat et Teutones et Ambrones, alteri parti vero Cimbros; recte etiam addit, his viam faciendam fuisse in Noricum, inde ad Atesin; et egregie animadvertit hanc alteram partem (cui etiam multo longius emetiendum erat iter), insuper diu moratam esse antequam iter susciperet; hac re explicatur cur proximo anno ineunte demum Cimbri ad Catulum (tum iam proconsulem) pervenerint [1]). Non minus recte res recte se habet apud Florum; is affirmat Teutonos (nam de Ambronibus tacet) apud Aquas Sextias esse victos [2]).

Praeterea Teutonos in eadem pugna recte memorant Frontinus, Velleius, Obsequens; epitome Liviana rectius etiam utrosque nominat Teutonos et Ambrones [3]); iam quin apud Livium ipsum recte res se habuerit, dubium non est.

Sed sunt qui discrepent. Primum Eutropius dicit Marium ad Aquas Sextias conflixisse cum Cimbris [4]). Deinde Aurelius Victor eodem modo erravit [5]). Polyaenus, qui ad Campos Raudios recte nominat Cimbros solos, ad Aquas Sextias tamen perperam nominavit et Cimbros et Teutonos [6]). Denique Oro-

---

[1]) „*τῶν δὲ βαρβάρων διελόντων ὁφᾶς αὐτοὺς δίχα, Κίμβροι μὲν ἔλαχον διὰ Νορικῶν ἄνωθεν ἐπὶ Κάτλον χωρεῖν ...., Τεύτονες δὲ καὶ Ἄμβρωνες διὰ Λιγύων ἐπὶ Μάριον παρὰ θάλατταν. Καὶ Κίμβροις μὲν ἐγένετο πλείων ἡ διατριβὴ καὶ μέλλησις.*" — [2]) Flor. III, 3, 8 et 11. — [3]) Front. II, 4, 6; II, 9, 1; IV, 7, 5; Vell. II, 12, 4; Obseq. 104; Liv. ep. 68 „C. Marius cos. summa vi oppugnata a Teutonis et Ambronibus castra defendit"; (vide supra p. 106 adn. 1 et ibid. adn. 2. — [4]) Eutr. V, 1, 4. — [5]) Aur. Vict. de Vir. Ill. 67. „Marius Cimbros in Gallia apud Aquas Sextias, Teutonos in Italia in Campo Raudio vicit". — [6]) Polyaen. VIII, 10, 1 et 2; sed licet fortasse coniicere apud Polyaenum § 2^0 pro „*Μάριος Τεύτοσι καὶ Κιμβρίοις μέλλων συμβάλλειν*" legendum esse: „*Τεύτοσι καὶ Ἄμβρωσι*". Litterarum ductus parum differunt.

sius non solum dicit hostes, quos ad Aquas Sextias fuderit Marius, fuisse Tigurinos et Ambrones; sed etiam addit hostes qui paullo postea in Campo Raudio victi sint, fuisse Teutones et Cimbros [1]). Verum erraverit sane opinor, si quis in his discrepantiis quattuor auctorum traditionem propriam, singularem et antiquam, inesse putaverit. Hi auctores habeantne traditionem propriam, eam quaestionem non ex his paucis verbis dirimi oportet quibus nomina hostium ab eis produntur; sed ex ipsis narrationibus ab eis adiectis ea quaestio iudicanda est. At hae narrationes omnino non differunt a traditione vulgata Liviana, ut infra ostendemus; Eutropius habet eundem numerum caesorum quem reliqui auctores, idem nomen ducis Teutobodum; Orosius non magis differt.

Itaque vix credere nobis licet traditionem propriam et antiquam a Liviana alienam ibi solum ab eis esse adhibitam, ubi de nominibus hostium sermo esset. Accedit quod Orosius plane repugnat Aurelio Victori et Eutropio; hi Cimbros ad Aquas Sextias ponunt; Orosius vero ad Campum Raudium refert Cimbros cum Teutonis; itaque non duae, sed tres traditiones distinguendae nobis essent, si tantum tribuere vellemus his discrepantiis. Illae discrepantiae sane nihil sunt, nisi errores ipsorum scriptorum, ex festinatione et negligentia orti. Orosium fortasse eximere possumus. Eius errores sunt tres: quod ad Aquas Sextias praeter Ambrones nominat Tigurinos — quos non in prima sed in tertia parte fuisse supra demonstravimus —; quod ibi omittit Teutones praecipuos hostes; quod ad Campos Raudios nominat praeter Cimbros: Teutonos, qui tum iam diu oppressi erant. Haec vitia omnia simul levi coniectura tollere fortasse licet, loco mutatis nominibus Tigurinorum et Teutonum [2]).

---

[1]) Oros. V, 16, 13 sq. „haec de Tigurinis et Ambronibus gesta sunt. „Teutones autem et Cimbri ...." — [2]) Verba superiore adnotatione laudata fortasse ita emendanda sunt ut legamus: „haec de *Teutonibus* et „Ambronibus gesta sunt. *Tigurini* autem et Cimbri integris copiis „Alpium nives emensi Italiae plana pervaserant." Facile fieri potuit, ut Tigurinos, qui proprie per se steterunt et tertiam partem effecerunt, sed quibus tamen iter fere idem erat quod Cimbris (nam utrique in

Plut. C. **16.**

Quae ab initio huius capitis usque ad finem narrationis (c. 28⁰) apud Plutarchum traduntur non amplius, ut superiora, a traditione communi auctorum Latinorum valde discrepant. Unum alterumve tantum locum Plutarcheum mox indicabimus [1]), ubi Plutarchus, ad Posidonium semel vel bis etiam reversus, aliquid ex eo sumpsit non adeo ut refutaret, sed magis ut expleret traditionem Latinam. Praeterea quae a cap. 16⁰ ineunte ad finem capitis 28ⁱ a Plutarcho narrantur fere omnia conveniunt rebus ab auctoribus Livianis traditis; imprimis cum Floro saepe plane, etiam verbis, concinit; reliquis vero repugnat; plerumque narrationem eandem sed pleniorem tantummodo, praebet. Haec traditio autem primum apud Valerium Antiatem, deinde plenior et melior quidem, sed eadem tamen, apud Livium olim exstitisse videtur. Numeros caesorum et captivorum, quos Livius in hac parte librorum suorum tradiderat, Valerii Antiatis esse primo obtutu apparet; de his numeris saltem Livium alium auctorem quam Valerium Antiatem non habuisse vel certe non consuluisse satis constat. Eam traditionem eandem a Plutarcho etiam redditam esse cum dixerim, minime tamen negare velim, Plutarchum etiam aliquot locis eam auxisse vel immutasse vel emendasse ex aliis auctoribus, ut suis locis indicabo; non solum hoc modo adhibuit Posidonii historiam, sed etiam, opinor, est ubi hunc usum ei praebuerit fons primarius, qui praeter Livium ei in manibus erat, qui aliquoties ab eo citatur, Commentarios Sullae dico. De his Commentariis autem iam hoc loco animadvertendum videtur, eos etiam ad memoriam partis tantum rerum his annis (102⁰ et 101⁰) gestarum servandum aliquid valere potuisse, nempe earum rerum solum quae in orientali parte Italiae ad Atesin in exercitu Catuli, deinde anno 101⁰ ad Padum, gestae sunt; ex eis nihil cognosci potuit de rebus, quae nunc primum a nobis tractari debent,

---

Noricum proficisci debebant) minus accurate cum his una nominaverit Orosius et neglexerit se ita de his aliquid affirmare videri quod revera non factum esset, eos quoque in Italiam pervenisse. — [1]) c. 21 fin.

quae a Mario a. 102⁰ ad Rhodanum gestae sunt antequam Marius anno 101⁰ ad Padum cum Catulo copias coniunxit.

Ut supra dixi, rerum a. 104⁰ et 103⁰ in exercitu Marii gestarum Commentarii Sullae, si superessent, egregius fons nobis esse possent, ex his annis nihil nisi quae Sulla egit nobis servatum est, et ab eis non plus quam quantum Plutarcho in Vita Sullae memoriae servare operae pretium visum est; scilicet tum Sulla sub Mario stipendia faciebat. Sed ineunte a. 102⁰ Sulla a Marii imperio liberum se fecit, cuius rei causam ipse hanc prodidit, quod Marius invidia permotus fere nihil quod alicuius momenti esset ei gerendum committere coepisset [1]); tum ad Catulum alterum huius anni Consulem se applicavit Sulla, et hunc, qui aliquanto post Marium ex urbe exiit, comitatus est, tamquam legatus ut videtur. Ita fit, ut in rebus anno 102⁰ a Mario ad Rhodanum gestis, quas Plutarchus inde a cap. 15⁰ usque ad 23um enarravit, nihil inest quod ad Commentarios Sullae pertineat.

Nos pergemus percurrere narrationem Plutarchi. Ad singulas partes narrationis eius reliquos auctores eatenus non nominabimus, quatenus hi de his rebus tacent. Sed adnotabimus omnes locos auctorum, qui idem tradunt, indicabimus etiam parvas differentias omnes, quae inter auctores de eadem re agentes exstant, ex illo consensu apparebit, in universum re vera unam eandemque narrationem esse, quae apud omnes auctores exstet; illae differentiae occasionem praebebunt exquirendi semper, quatenus unus alterve scriptor singularem traditionem secutus sit, sed etiam quatenus specie magis quam re adsit repugnantia, si ipsa ad neglegentiam vel ad opinionem auctoris referri possit.

Unum auctorem iam hoc loco eximere possumus ex numero auctorum quorum ratio habenda est, nempe Polyaenum, is enim in tribus paragraphis, quibus de bello Cimbrico egit, nihil aliud quam exscripsit Plutarchum [2]).

---

[1]) Plut. Sulla 4. — [2]) Satis est comparare hos locos:

Polyaen. VIII, 10, 1.

„*Μάριος Κίμβρων* (legendum *Ἀμ-*
„*βρώνων*) *καὶ Τευτόνων ἐς τὴν*
„*Ἰταλίαν ἐμβαλόντων ..... τὰς*

Plut. Mar. 16.

„*Τοὺς στρατιώτας ὑπὲρ τοῦ*
„*χάρακος ἑστὰς ἀνὰ μέρος καὶ θεᾶ-*
„*σθαι κελεύων εὔθιζε τὴν μορφὴν*

Hoc capite 16⁰ igitur Plutarchus narrat barbaros, ad castra Marii accedentes, operam dedisse, ut eum ad pugnam elicerent. Sed Marius „ἐν τῷ χάρακι τοὺς στρατιώτας συνεῖχεν", „militem in castris tenuit", ut ait Florus [1]). Deinde Marius milites ante castra aliquamdiu stare iussit, hoc agens ut truces hostium vultus ferre et clamores eorum dissonos tolerare discerent, simul ut cupidine pugnae magis etiam ardescerent. Frontinus hoc loco fabellam addidit, narrationi Plutarchi bene quadrantem quidem, sed quam Plutarchus non rettulit de Teutono quodam Marium provocante et de responso quod a Mario accepit [2]). Querellae militum referuntur.

Cap. **17.**

Plutarchus etiam alio loco, in Vita Sertorii, affirmat Mario id valde difficile fuisse milites cohibere et a proelio retinere [3]). Nostro loco tradit eum ad eam rem usum esse opera sagae cuiusdam Syriacae, Marthae nomine; huius etiam Frontinus mentionem fecit [4]). Deinde Plutarchus refert narratiunculam ab Alexandro Polyhistore sumptum de vulturibus exercitum Marii sequentibus; exponit prodigia quaedam eo anno in Italia, Ameriae et Tudere, visa, et narrat artes eo tempore Romae ostentatas a Battace quodam, sacerdote Magnae Matris; haec apud alios non leguntur.

Cap. **18.**

Tum barbari castra adorti obsidere conantur; id per triduum summa vi continuatum esse addit Orosius [5]). Multis

---

„ὄψεις ἀλλοκότων, θηριώδη τὴν „φωνὴν ἐχόντων . . . ἐκέλευσε τοὺς „στρατιώτας τοῦ χάρακος ἐμβάλ- „λειν προσιόντας, πόρρωθεν ἱστα- „μένους, ... ἤθιζε τῆς μορφῆς „αὐτῶν ἀνέχεσθαι καὶ τὴν φωνὴν „ὑπομένειν."

„ἀνέχεσθαι τῶν πολεμίων καὶ τὴν „φωνὴν ὑπομένειν ὅλως οὖσαν ἀλ- „λόκοτον καὶ θηριώδη."

Reliqua exscribere nihil attinet, etiam § 2ª et § 3ª prorsus referunt Plutarchum.

[1]) Flor. III, 3, 1. — [2]) Front. IV, 7, 5. — [3]) Plut. Sert. 3; Plutarchus ibi etiam narrat Sertorium, Gallica veste indutum, cum linguae Gallicae satis peritus esset, a Mario in barbaros inmissum speculandi gratia, mox eorum consiliis cognitis ad Marium incolumem rediisse. Haec apud alios non leguntur. — [4]) Front. I, 11, 12. — [5]) Oros. V, 16, 9; cfr. Liv. ep. 68.

telis Romanorum obruti aliquid detrimenti accipiunt. Itaque Marium praeterire animum inducunt; longo agmine cum mulieribus et liberis praeter castra procedunt, sex dierum tempus in castra praetereunda insumunt. Quod barbaros praetereuntes a militibus Romanis ludibrii causa rogavisse tradit Plutarchus „εἴ τι πρὸς τὰς γυναῖκας ἀποστέλλοιεν", id eisdem verbis legitur apud Florum: „recessere igitur increpantes et consu„lentes si quid ad uxores suas mandarent" [1]). Marius statim postquam praetergressi sunt et ipse castra movit (idem Orosius), et per iter multorum dierum, quod secundum Rhodani ripam fecerunt barbari, eos comitatur; castra, quae nocte quidem daret militibus suis, haud longe semper ab hostibus ponens. Tandem cum iam prope abessent a littore maris, ad coloniam Aquas Sextias, cum Marius ut solebat locum propinquum ad castra facienda elegisset, ipsa natura huius loci, quem elegerat, causam dedit manus conserendi. Is locus enim erat collis, situs in margine campi, in quo hostes consederant, in medio eo campo erat parvum flumen [2]); ab eo colle, cum prospici possent et campus et flumen, tamen aqua e flumine peti non poterat nisi per medios hostes iretur. Necesse igitur erat, si in eo colle mansurus esset Marius, iter ad aquam primum ab eo armis aperiri.

Hoc loco magnus dissensus inter auctores esse videtur, qui tamen specie magis quam re nititur. Plutarchus enim dicit Marium consulto talem locum elegisse quod iam proelium inchoare constituisset. Orosius nihil aliud tradit quam eum locum aqua caruisse. Frontinus vero contendit „metatores „eius per imprudentiam ita castris locum cepisse, ut sub „potestate barbarorum esset aqua" [3]). Hoc sane stultum est rem metatoribus imputare, quasi hi sine iussu egissent; rem ad errorem imperatoris ipsius referre debebat Frontinus, id sane eius auctor voluit. Specie igitur duas diversas traditiones hoc loco habemus. At revera una tantum est, quam in varias partes interpretati sunt scriptores nostri; apud Florum

---

[1]) Flor. III, 3, 7. — [2]) Oros. V, 16, 10: „collem occupavit, qui campo „et fluvio, ubi hostes sese diffuderant, imminebat"; Flor. III, 3, 8: „vallem fluviumque medium hostes tenebant. — [3]) Front. II, 7, 12.

enim apparet utramque opinionem iam apud auctorem communem exstitisse; is dicit: „consultone id egerit imperator, „an errorem in consilium verterit, dubium". Praeterea quod additur de dicto quodam Marii, quo is respondit ad querellas militum, quamquam id non apud omnes eisdem verbis refertur, tamen tam simile est, ut communionem fontis indicet [1]).

Cap. **19.**

Marius igitur pugnam differri malebat, dum castra munirentur. Sed agasones et lixae, quibus cura iumentorum et pecoris cordi erat, arreptis ligonibus, securibus, gladiis vel hastis, urceos portantes ad flumen descendunt, ut Plutarchus et Orosius tradunt. His, cum a barbaris premerentur, mox milites Romani auxilio accurrunt, ita prior pugna commissa est, qua magna pars Ambronum, qui eo loco consederant, deleta est. Duo proelia ad Aquas Sextias facta apud omnes auctores distinguuntur [2]); Orosius solus tradidit tres dies et noctes interposita fuisse, alterum proelium quarto die esse factum. Plutarchus primam pugnam cum Ambronibus gestam, operam ab illorum mulieribus navatam, prolixius descripsit.

Cap. **20.**

Noctes intermissas a barbaris ingenti clamore et ululatu infestatas esse narrat Plutarchus, adeo ut Marium ipsum ea res terrore quodam moveret. Hanc rem inversam tradidit Frontinus; is dicit, Romanos ipsos iussu Marii „sublatis sub„inde clamoribus per paucos suorum territavisse insomnemque „hostem detinuisse, ex eo Marium adsecutum esse, ut postero

---

[1]) Plutarchus eam rem melius quam reliqui narrat. Marius flumen manu indicans: „ἐκεῖθεν αὐτοῖς ἔφησεν εἶναι ποτὸν ὠνιον αἵματος"; sed addit primum castra esse munienda. Apud Orosium (V, 6, 10): „aquam quidem in conspectu esse respondit, sed eam *ferro* esse vindi„candam", (non ut Plutarchus sanguine emendam). Frontinus (II, 7, 12): „flagitantibus aquam suis digito hostem ostendens: „illinc, inquit, pe„„tenda est." Florus (III, 3, 9): „nam flagitante aquam exercitu, „si „„viri estis, inquit, en illic habetis." Haec omnia ex *uno* fonte sunt et probant communionem fontis, inter omnes scriptores obtinentem. — [2]) Liv. ep. 68: „duobus proeliis circa Aquas Sextias eosdem hostes „delevit"; Vell. II, 12, 4: „cum Teutonis conflixit.... priore ac poste„riore die"; Florus festinatione permotus id commemorare omisit.

„in requietem facilius debellaret" [1]). Sane quod Plutarchus tradit, maiorem veri habet similitudinem. Ceterum eam rem non ad diversitatem traditionis, sed ad errorem Frontini referre velim. — Sequitur dolus a Mario institutus tertio die, pridie quam alterum proelium gestum est Marius Cl. Marcellum cum tribus millibus legionariorum militum in insidiis collocat, eum iubet colles silvis densos a tergo hostium clam occupare. In ea re etiam Frontinus neglegentia et festinatione erravit. Nam cum Plutarchus addat Marium postero die cum reliquis copiis etiam equitatum ex castris in hostes immisisse, valde credibile est (quamquam Plutarchus id non addit) Marium aliquid fecisse ut hostes crederent, maiorem equitum copiam sibi esse quam revera essent; Frontinus dicit Marium „ad implendam multitudinis speciem agasones lixasque „armatos simul ire iussisse iumentorumque magnam partem „instratorum centunculis, ut per hoc facies equitatus obice„retur"; sed Frontinus haec infeliciter coniunxit cum altero dolo, et hunc equitatum ita auctum etiam Marcello commissum fuisse perhibet, quod sane absurdum est, neque ad singularem traditionem referendum est sed ad errorem [2]). Insidiis paratis postero die milites Romani a castris et colle hostes adorti pugnantes in campum descendunt [3]).

Cap. **21.** Tum Marcellus a tergo hostes aggreditur quos a fronte premit Marius, et ex eo proelio Romani superiores evadunt. Plutarchus omisit quod addidit Orosius „usque ad meri„diem paene pari discrimine pugnatum esse [4]), et usque in „noctem caedem potius quam pugnam protractam esse" [5]). Nu-

---

[1]) Front. II, 9, 1. — [2]) Ibid. II, 6, 4. — [3]) Polyaenus (VIII, 10, 2) quamquam prorsus a Plutarcho pendet, tamen hoc loco etiam in errorem incidens, putavit Romanos hoc consilio in campum descendisse, non ut hostes aggrederentur, sed ut speciem fugae hostibus daret, itaque insulse inseruit: „ὅπως οἱ πολέμιοι φεύγειν αὐτοὺς οἰόμενοι διώκειν ἐγχειροῖεν". — [4]) Oros. V, 16, 11. — [5]) Silentio hoc loco praetereundum non est quod de mulieribus barbarorum addunt auctores Orosius (V, 16, 13), Valerius Maximus (VI, 1 ext. 3), Florus (III, 3, 16). Nam quamquam Florus haec loco mutata rettulit ad pugnam in Campis Raudiis factam, Valerius Maximus, qui diserte Teutonas mulieres nominat, probat eam rem ad Aquas Sextias esse gestam. Scilicet mulieres Teutonum, postquam dimicatum est, supplices a Mario petiverunt ut deae cuidam Romanae,

meros quos ex Valerio Antiate addiderat Livius (caesorum 200.000 apud Orosium, Epitomen Livianam, Eutropium; captivorum 80.000 apud Orosium et Epitomen — ubi perperam legitur 90.000 — et Eutropium; barbarorum qui effugerunt 3000 apud Orosium), iure sprevit Plutarchus. Sed is (et ex eo Polyaenus) alium numerum substituit caesorum et captivorum, 100.000 amplius. Velleius, cui non magis placuisse videntur numeri ab Antiate ficti, etiam aliquid detraxit, sed non ut Plutarchus dimidium, sed quartam partem; is dicit amplius 150.000 hostium priore ac posteriore die trucidata esse [1]). De rege Teutoboduo capto, de quo mentionem fecerunt Orosius et Florus (Orosius perperam dicit eum in pugna occisum esse, nam postea in triumpho Marii actus est) etiam tacuit Plutarchus.

De praeda quam fecerunt Romani mirabilia narravit auctor quem Plutarchus secutus est. Dicit milites, cum multa tentoria et plaustra et magnam pecuniam cepissent, hanc praedam, quatenus non ab ipsis subrepta esset, Mario dono dedisse, neque tamen existimavisse se hoc splendido dono (δωρεᾷ λαμπροτάτῃ) satis remuneratos esse eius praestantiam imperatoriam. Nemo qui noverit ius Romanum, hac narratione decipietur; praeda ex hostibus capta erat publica populi Romani, pars aerarii; imperatori de eius usu decernere licebat; nullum huius rei arbitrium erat apud milites, hos imperatori praedam dono dedisse prorsus ineptum et stultum est.

Longe aliter de hac re egit Dio Cassius [2]). Is primum hoc quoque singulare habet, in his pugnis ingentem numerum *Romanorum* esse caesum, et paucos *ex Romanis* servatos esse. Deinde addit Marium, ut hos consolaretur et remuneraretur, praedam, quam gratis eis tradere nolebat, exiguis pretiis his vendidisse. Haec si vera sunt, apparet auctorem illius traditionis quam Plutarchus prodit, Valerium Antiatem ut opinor, quem secutus est Livius, insolentibus mendaciis verum cor-

---

cui virgines et viduas inservire fas esset, sacrae factae dono darentur, quo fieret ut ipsae inviolatae manerent a libidine militum Romanorum. Id cum non impetrassent, mortem sibi ipsae consciverunt. — [1]) Vell. 2, 12, 4. — [2]) Dio fragm. 92, ed. Melb. I, p. 337.

rupisse ut augeret gloriam Marii, quae sane huiusmodi artibus non indigebat.

Sed etiam Plutarchus, insolentia rei admonitus, hoc loco inspexit alium auctorem. Ex eo auctore primum statuit, pugnas ad Aquas Sextias gestas fuisse quam maxime cruentas; multitudinem cadaverum tam ingentem fuisse tradit, ut Massilienses aliquamdiu ossibus, quorum maxima copia in eo campo erat, uterentur ad vineas saepiendas. Ea res, quae prodit auctorem rerum Gallicarum et Massiliensium peritum, quin ad **Posidonii** historiam referenda sit, nullum est dubium.

Apud eundem auctorem autem Plutarchus se longe alia legisse dicit de ratione qua de praeda actum esset, quam quae tradiderat auctor Latinus. Non addit quidem, quid de praedae usu narraverit is auctor; sed nos errare vix poterimus, si statuimus, id ipsum fuisse quod apud Dionem servatum est. Affirmare igitur licet, traditionem veram **Posidonii** hac in re a Dione esse proditam.

Denique Plutarchus addit hunc auctorem etiam de numero caesorum longe alia tradidisse quam quae tradidisset auctor Latinus. Ne hoc quidem accuratius exposuit Plutarchus; verisimile est Posidonium, ut auctorem prudentem et rerum peritum decet, omnino numerum non dedisse. Utique apparet numerum quem exhibeat Plutarchus (100.000) non ex Posidonio esse sumptum; Plutarchus enim dicit Posidonium repugnasse eis quae ipse modo scripserat.

Verum unde hunc numerum (100.000) mutuatus est Plutarchus? Num debemus hunc numerum, qui neque conveniat Valerio Antiati et Livio, neque Posidonio, ad tertiam aliquam traditionem referre? Obstat Velleius, qui prodit numerum 150.000; huic si idem tribuere vellemus, quartam etiam traditionem distingueremus necesse esset. Sed nihil his ambagibus opus est. Dubium non est quin et Plutarchus et Velleius, cum de numeris Valerianis dubitarent, suo Marte quisque suoque arbitrio, de hoc numero diminuisse; quod ut libere facerent, vocabulum „amplius" quod addebant, copiam eis dabat.

Cap. **22**. Marius ex praeda partem aliquam eligit quam triumpho reservet; reliquam partem, scil. detracta ea parte

quam militibus vendiderat, et decimam partem totius praedae quidem, ut probat consuetudo Romana, deis (Herculi) sacrificare decernit. Hoc sacrificium bene descripsit Plutarchus. Cum in eo occupati essent milites, nuntius in castra pervenit Marium quintum consulem Romae creatum esse.

Hoc loco apparet Dionem, etiamsi servavit aliquid ex traditione Posidonii, tamen his in rebus quoque minime ignarum fuisse traditionis Latinae. Apud eum enim invenimus eadem verba, de quinto consulatu Marii facta, quae etiam exstant in epitome Liviana de sexto eiusdem consulatu:

Dio	Epit. 68
„Τότε καὶ τοὺς εὐπατρίδας	„Primores civitatis, qui ei
„ὑφ' ὧν ἐμισεῖτο ἐξενίκησεν,	„aliquamdiu ut novo homini ad
„ὥστε πρὸς πάντων ὁμοίως καὶ	„tantos honores evecto invide-
„ἐπαινεῖσθαι, τήν τε ἀρχήν,	„rant, conservatam ab eo rem-
„καὶ ἐς τὸ ἐπιὸν ἔτος . . . παρ'	„publicam fatebantur".
„ἑκόντων καὶ ὁμογνωμονούν-	
„τῶν αὐτῶν ἔλαβεν."	

Hunc consensum vix forti fortunae et casui adscribere ausim. De ratione autem qua ad sextum consulatum pervenit Marius, aliquanto post minus honorifica tradidit Plutarchus [1]), Livii auctoritatem relinquens, et, ut ipse ibi dicit, **Rutilium Rufum** auctorem secutus.

Cap. **23.** Plutarchus transit ad res a. 102⁰ exeunte et ineunte a. 101⁰ a Catulo gestas. In his rebus Plutarcho Commentarii Sullae denuo utiles fuerunt. Ex eis hoc deprompsit (quod in Vita Sullae scripsit): Sulla „πολέμῳ μὲν αἱρεῖ πολὺ „μέρος τῶν ἐν ταῖς Ἄλπεσι βαρβάρων"; id factum sit necesse est ante adventum Cimbrorum [2]). Cimbri ad Atesin post finem anni demum cum iam procos. esset Catulus, pervenerunt. Quae de adventu barbarorum, de artibus quibus Romanos terrere et Atesin transire conantur scripsit Plutarchus, eodem modo leguntur apud Florum, qui addit eos Tridentinis iugis descendisse [3]). Catulus initio animum induxerat, etiam alteram ripam fluminis, septentrionalem sive laevam, et de-

---

[1]) Plut. 28. — [2]) Plut. Sulla c. 4. — [3]) Flor. III, 3 § 11a—14am.

clīvia Alpium, suis copiis contra barbaros tenere. Sed iam statim impetu barbarorum oppressus, pone flumen se recipere coactus est. De hac clade tres auctores agunt, epitome Liviana [1]), Frontinus [2]), Valerius Maximus [3]). Epitome dicit barbaros ab Alpibus reppulisse et fugavisse Q. Catulum proconsulem. Frontinus addit Catulum post cladem acceptam dolo quodam adhibito effecisse, ut barbari victores a flumine paullisper secederent, quo ipsi potestas fieret, in altera ripa fluminis, dextra, consistendi. Valerius Maximus, qui equites Romanos in illa pugna fusos esse dicit, etiam addit equites pulsos deserto Catulo urbem pavidos repetere voluisse; inter hos equites M. Scauri filium fuisse narrat, cui pater mortem minitatus esset, si fugere pergeret. Plutarchus de proelio quo Catulus profligatus sit, non diserte mentionem facit. Id mihi tribuendum videtur auctoritati Commentariorum Sullae. Hos Commentarios, ut mox confirmabo, in his rebus diligenter consuluit Plutarchus. Sulla autem multum operae dedit, ut Catulo parceret, utque res adversas quae ei contigerunt, leniore modo depingeret. Ipse senex Commentarios cum scriberet, usus est commentariis Catuli, qui aliquanto ante in lucem erant editi. Etiamsi ipsas res gestas non corrupisse videtur mentiendo tamen eum nonnulla quae Catuli gloriae adversa essent aut omisisse aut paucis verbis absolvisse verisimile est. Eam operam autem, qua res gestae depingebantur coloribus Catulo quam minime iniquis, etiam apud Plutarchum deprehendimus. Hoc loco Sulla certo a vocabulo cladis Catuli, victoriae a barbaris reportatae, sedulo cavit; eum secutus Plutarchus de clade accepta tacet, — Plutarchus autem h. l. narrat, milites Catuli territos ultro abiisse ut in tutum se reciperent, et Catulum, ne ea fuga esse videretur, quasi ipsius iussu hoc fieret, agmini legionum retrocedentium aquila arrepta se praeposuisse. Clarum est hoc non pertinere ad eam fugam equitum, quam memoravit Valerius Maximus. Apparet exercitum Catuli primum esse profligatum in ripa laeva; deinde in ripa dextra

---

[1]) Liv. ep. 68. — [2]) Front. I, 5, 3. — [3]) Val. Max. V, 8, 4.

aliquamdiu substitisse; deinde ultro, iniussu imperatoris, hanc stationem quoque deseruisse et versus Padum abiisse.

Sed Catulus, cum recederet a dextra ripa fluminis, castellum aliquod, quod in laeva ripa antea collocaverat et praesidio muniverat, deserere coactus fuit. Nihilominus hoc praesidium, tota legio, ab interitu servatum est sua virtute. De ea re tres exstant narrationes, apud Plinium [1]), in eptome Liviana (ubi vocabula corrupta et lacunosa sunt), apud Plutarchum. Hae narrationes, quae res valde memorabiles continent, non sibi repugnant, quamquam differunt, et invicem se explent, eam ob causam eas h. l. referre opus non est. Plutarchus dicit Romanos, postquam egregie pugnavissent, „ὑποσπόνδους" esse dimissos a barbaris; addit hostes iusiurandum quo inducias confirmarent fecisse per deum suum, taurum aheneum ingentem; hunc taurum postea Catulum, cum eo post victoriam potiti essent Romani, domi servavisse. Crediderim Plutarchum hoc didicisse ex Commentariis Sullae, qui in scribendo ipse usus est commentariis Catuli.

Plut. cap. **24.** Marius qui interea exercitu ad Rhodanum relicto in urbem redierat, mox triumpho dilato ad Padum proficisctur, et eo vocat exercitum suum ex Gallia. Cimbri ab Atesi non statim in Italiam se vertunt, sed primum aliquamdiu (ut solus Florus tradidit) in Venetia manserunt, deinde versus Occidentem iter fecerunt, volebant enim se coniungere cum Teutonis qui ab ea parte exspectabantur. Catulus ut ab Italia eos arceret operam dabat, et Marius postquam advenit, Pado transmisso hac in re ei opitulabatur. Plutarchus memoravit, non hoc loco sed in Vita Sullae [2]), quod apud Sullam legerat de difficultate rei frumentariae curandae, quae sane magna erat cum tot exercitus in ea regione Transpadana versarentur. Sulla scripserat huius rei curam sibi a Catulo esse commissam et tam bene se mandatum perfecisse, ut mox magna frumenti abundantia esset in castris Catuli; quin etiam de sua copia se aliquid impertire potuisse exercitui Marii. Hoc certe Mario dedecori non erat; tamen Marius, ut Sulla scribebat, id aegerrime tulit.

---

[1]) Plin. N. H. 22, 11. — [2]) cap. 4°.

De effectu quem in barbarorum animos corpora mores habuerunt dulcedo aëris, genus novum vitae quo in Gallia Transpadana uti coeperunt, usus panis, carnis coctae, vini, habitationum tectarum, lavacrorum, agunt Florus [1]), Dio Cassius [2]), Orosius [3]), ita ut partim (inprimis Florus et Dio) eisdem vocabulis utantur, quod iterum probat, Dionem in hac parte minime alienum esse a traditione communi. Plutarchus haec omisit. Is solus quaedam narrat de legatione a Cimbris ad Marium missa, qua hi primum cognoverunt Teutonos, fratres suos, esse deletos.

Plut. cap. **25**. Quo uberiorem nanciscimur materiem, eo minus necessarium est, omnia diligenter persequi. Plutarchus solus memorat pila Romana a Mario hoc tempore ad usum bellicum aptiora facta. Provocationis ad pugnam, a Boiorige Mario oblatae, et diei et loci proelio constituti, quae a Plutarcho memorantur, etiam Florus (omisso nomine Boiorigis) mentionem fecit [4]) et Orosius eam rem tangit [5]). Plutarchus in pugna describenda diligenter adhibuit Commentarios Sullae, ut ipse dicit, sed minime tamen Livium deseruit, e quo eum permulta etiam hausisse mox apparebit. Cum nulla plena pugnae descriptio e Livio sumpta nobis servata sit, quid inter Livium et Sullam interfuerit demonstrare non possumus. Res nonnullae ad consilia imperatorum Romanorum pertinentes, quae a traditione Liviana supersunt, non item a Plutarcho referuntur; sic Frontinus monet [6]), Romanos ita aciem instruxisse ut aliquid iter hostibus faciendum esset, quo fieret ut hi fessi ad proelium advenirent; Orosius [7]), Florus [8]), Frontinus [9]) animadvertunt, imperatores suas copias ita collocavisse, ut adverso sole et vento et pulvere barbari impedirentur, quem dolum ab Hannibale eos mutuatos esse dicunt Orosius et Florus. Plutarchus contra solus numeros Romanorum servavit, 20.300 Catuli, 32.000 Marii. Ex Commentariis Sullae Plutarchus refert extremas partes aciei Marii copiis,

---

[1]) III, 3, 13. — [2]) Dio fr. 92. — [3]) Oros. V, 16, 14. — [4]) Flor. III, 3, 14. Nomen Boiorigis tamen Floro ignotum non est; postea (§ 18[0]) tradit eum in pugna occisum esse. — [5]) V, 16, 14. — [6]) Frontin. II, 2, 8. — [7]) V, 16, 14 et 15. — [8]) III, 3, 15. — [9]) Front. l. l.

mediam aciem Catulo esse datas. Hoc Marium ideo fecisse scripserat Sulla, ut sibi gloriam certaminis et victoriae reservaret, cum crederet fore ut in extremas acies primum incurrerent hostes. De ea re etiam Catulum scripsisse in commentariis et Marium increpuisse, addit Plutarchus, sed clarum est eum ipsum hos commentarios non inspexisse, et ex Sullae libris eam rem cognoviese. Cimbri appropinquabant agmine quadrato; habebant 15.000 equitum.

Plut. cap. **26.** Horum equitum impetum primum repulsum esse, et ea re hostem esse perturbatum, adnotat Orosius. Plutarchus quoque de equitum impetu agit, dicit eos aggredientes contra opinionem in dextram partem declinasse, et ita Romanos (i. e., opinor, equites Romanos) ab eis inductos esse, ut eos persequentes agmini pedestri barbarorum liberum aditum ad legiones Romanas aperirent. Voto et precatione tum uterque imperator deos adiit. Quae praeterea ex Sullae Commentariis de ratione proelii rettulit Plutarchus, Marium fefellisse pulverem et eum frustra errantem cum hoste aliquamdiu confligere non potuisse, id aliquid veritatis fundamentum habere videtur, sed sine dubio vehementer a Sulla exaggeratum est. Is ita rem descripsit, quasi Catuli exercitus fere solus totum onus certaminis sustinuisset. Quod Catulus scripserat, milites suos in tam acri pugna nullum ne levissimum quidem signum fatigationis neque sudore neque anhelitu tulisse, id certe etiam a Sulla cognovit Plutarchus.

Plut. cap. **27.** Multa in hoc capite narrat Plutarchus quae ad Livium pertinere ostendit consensus scriptorum. Numeros caesorum (140.000) et captorum (60.000), quos praebent auctores Liviani [1]), Plutarchus quoque nunc accepit et rettulit; nam quod 120.000 caesorum, 60.000 captorum numerat (quod vitium librarii non esse probat Polyaenus), attribuendum est studio cuidam imminuendi numeros, non diversitati traditionum; Velleius numerum imminuit ad 100.000, addito vocabulo „amplius" [2]). Quae de pugna mulierum et de morte quam

[1]) Oros. § 16[c]; Liv. epit. 68; Eutr. V, 2. Numerus quem Florus exhibet (III, 3, 14), 65.000 caesorum, aut corruptus est aut ex arbitrio fictus. Eutropius et Florus addunt trecentos Romanorum et utroque exercitu cecidisse. — [2]) Vell. II, 12, 5.

hae variis modis sibi et liberis ipsae consciscunt miserabilia et sinistra narrat Plutarchus, adeo similia sunt eis quae non minus prolixe ab Orosio narrantur, ut fontem eundem fuisse negari non possit, etiamsi ad viros aliquid rettulit Plutarchus quod de mulieribus tradidit Orosius. De aemulatione imperatorum, quorum uterque gloriam victoriae ad se suosque milites trahebat, de iudicio legatis Parmensibus qui forte aderant demandato, de argumentis quibus Catulus utebatur ut suum esse demonstraret decus certaminis, Plutarchus prolixe egit. Praedam dissimilem fecerant imperatores; Marii milites pecuniam, Catuli milites bona hostium et tubas et signa in proelio ceperant; Catulus in commentariis eo argumento quoque usus erat, ut ostenderet se proprie hostem profligavisse. Ea omnia Plutarchus, ex Sullae Commentariis cognita, solus rettulit. Sed apparet etiam Livium huius controversiae haud ignarum fuisse; hic quoque Catuli causam validiorem esse, eventum proelii felicem maxime huius industriae huiusque militum fortitudini deberi, censuit. Sed quamquam fieri potest ut Livius quoque in ea re adhibuerit Commentarios Sullae, tamen id statuamus necesse non est; quod apud eius imitatores de ea re hodie legitur, id etiam directe a Livio ex ipsius Catuli commentariis sumi potuit, nam nihil aliud est quam illud argumentum ex genere praedae petitum, quo Catulum ipsum in commentariis usum esse novimus. Verba Liviana quae eo pertinent haec sunt, apud Eutropium: „iterum a C. Mario et Q. Catulo contra eos dimicatum est, „*sed a Catuli parte felicius* ... tria et triginta Cimbris signa „sublata sunt. Ex his exercitus Marii duo reportavit, Catuli „exercitus triginta et unum" [1]). — Quod ad ipsam controversiam attinet, manifestum est, has argutias prorsus nihil valere ad Catulum Mario anteponendum vel etiam aequandum. Catulus etiamsi in hac pugna solus certavisset — quod certe concedendum non est — tamen tenendum esset, id ipsum ut certare et vincere posset, Mario deberi. Licet Catulum ad coelum evexerint optimates Romani, qui ferre non possent hanc glo-

---

[1]) Eutrop. V, 2.

riam patriae servatae ad virum nobilem non pertinere, et Sulla, qui ad se et ad amicos suos omnem laudem trahere studeret, et milites Catuli semel profligati, qui ignominiam gloria permutare conarentur, constat gloriam hostis oppressi et patriae servatae penes Marium esse omnem, neque ullum de ea re dubium remanere patitur ipsa rerum gestarum memoria.

FINIS.

THESES.

I.

Hom. Il. VIII, 361.

σχέτλιος, αἰὲν ἀλιτρός, ἐμῶν μενέων ἀπερωεύς.

Pro μενέων lege μηδέων.

II.

Soph. Philoct. 351.

ὅπως ἴδοιμ' ἄθαπτον, οὐ γὰρ εἰδόμην·

Lege: ὡς γὰρ εἰκὸς ἦν.

III.

Xenoph. Anab. V, 4, 9.

πρὸς ταῦτα ἀπεκρίνατο ὁ ἄρχων τῶν Μοσσυνοίκων ὅτι καὶ βούλοιντο ταῦτα καὶ δέχοιντο τὴν συμμαχίαν. Ἄγετε δή, ἔφη ὁ Ξενοφῶν, τί ἡμῶν δεήσεσθε χρήσασθαι, ἂν σύμμαχοι ὑμῶν γενώμεθα;

Pro Ἄγετε legendum esse censeo Λέγετε.

IV.

Plut. Sulla 17.

Ἀμφότεροι δὲ ταὐτὰ περὶ τῆς ὁμφῆς ἔφραζον· τῷ γὰρ Ὀλυμπίῳ Διὶ καὶ τὸ κάλλος καὶ τὸ μέγεθος παραπλήσιον ἰδεῖν ἔφασαν.

Lege: παραπλήσιον <αὐτὸν> ἰδεῖν ἔφασαν.

Leovardiae
Ex Officina Sociorum Typothetarum
MDCCCCI